7
9-C
42

9
15 C
14

B.x.6.

7. 9. c. 42

Speculum,
& Exemplar Chriſticolarum.

VITA BEATISSIMI PATRIS BENEDICTI

Monachorum Patriarchę
Sanctiſsimi.

Per R. P. D. ANGELVM Sangrinum Abbatem Congregationis Caſinenſis carmine conſcripta.

BIBLIOTECA N
ROMA
TTORIO EMAN

FLORENTIAE.
Apud Bartholomęum Sermartellium.
MDLXXXVI.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. D.

D. ALEXANDRO FARNESIO S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Ac noſtrę Congregationis Caſinenſis Protectori ſtrenuiſſimo

Deſiderius à Brixia, Sacri Caſinenſis Cœnobij Abbas humillimus, poſt Manus oſculum, promptum ſeruitutis obſequium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SAEPE animo meo conieci, atque non immemori mente ſępius reuolui, Illuſtriſſime Domine, quid muneris offerre valerem, quo tibi, & cordis affectum, & ſeruitutis officium, quibus erga te plurimum afficior, eò clarius oſtenderem, quò vehementius obſeruo dignitatis tuæ celſitudinem, eximiaq; tuarum virtutum inſignia admiror, ac ſuauius exoſculor. Haud me latet, te Principem eſſe non humanarum rerum auidum, ſed Cardina-

lem, diuinarum diuitiarum cupidiſsimum; vnde, & larga, locupleteq; manu pauperibus CHRISTI opitularis, & probitatis ſplendore ſponſam eius Eccleſiam, filiam Synagogę, matrem Gentium illuſtras. Verè, nec allucinor iudicio, nec opinione fallor, cardo es eius gemmatus, aureum candelabrum ante Propitiatorij Cherub ſeptem Spiritus ſancti lucernis accenſum, velum diſcoloribus virtutum filis intextum: alter, inquam, Eleazar filius Aaron in gloria dignitatis tuæ, ALEXANDRI nomen ex baptiſmatis fonte non inauſpicatò ſortitus es: ex vitæ meritis, quis inficiabitur, non addendum eſſe Magni? Magnus quidem es animi candore, operumque ſtrenuitate, non minor, immo maior illo, qui dextera orientem, & læua occidentem complecti ambiebat, nec minori animo mille ſi fuiſſent mundi; ad ſubiugandos eos imperio ſuo inſatiabili fame, ſitiq; aridiſsima ſuſpirabat; oblitus omnino miſer, & infœlix homuncio, bulla, & vmbra, mancipium mortis, vapor ad modicum parens, in imagine pertranſiens, exul, & aduena, quòd terræ palmo, aut vlna marmoris quandoque eſſet poſt mortem complectendus, deſcenſurus ad Tartara, putredo, & cinis; auditurus indè conclamari à ſapientibus poſt funus, & inter miſerias; Quomodo cecidiſti, Lucifer?

Moab

Moab deiectus eſt in terra; nam ſuperbus erat valde, nec minus auidus, quàm ambitioſus: ſubter te ſternentur tineæ, & operimentum tuum erunt vermes. Hic Regum ſimulachrum, naturæ monſtrum nomen Magni, non tam virium ſuarum robore, & magnitudine, quàm exercitus ſui ordine, veteranorumque militum fortitudine, & arte, ſibi meritò comparauit. Tu autem, fortiſsime Heros, Romanorum decus, nobilitatis Farneſiæ ornamentum, & ſpecimen immortale, non modò maiorum tuorum ſtemmatibus, verum tua, quæ eſt ſana, & ſacra doctrina, facunda eloquentia, religioſæ vitę ſanctimonia, nomen magni Cardinalis aſſecutus es inter homines, conſequuturus nomen ſancti, ac beati Pontificis inter Angelos. Cæterum, ne à ſcopo delirare videar, aut vēdere oleũ, aut Principis aureis detinere abſq; Diogenis cauillo cenſear, ad rem conſultius redeundum eſſe diiudico. Diebus ſiquidem elapſis ſumma cum pietate, qua maximè vitam Patriarchæ noſtri BENEDICTI veneror, & ſępiſsimè meditor, operam nauaui, vt non tantum ſtilo proſaico, verùm diuerſo carminum genere ederetur. Quam, ne longiorem texam orationem, lectori, vel auditori tædium collaturam præpropero calamo, celeriorię; Muſa exactam tibi, Colendiſsime Domine,

mine,

mine, omni ſeruitutis officio, ac potius pietatis affectu, mitto, dedico, conſecro, veluti talis, ac tanti Patris filio deuotiſsimo, atque eius ſacræ Congregationis Protectori indefeſſo, ac ſolertiſsimo. Vnum denique occurrit, quod ſilentio prætereundum eſſe non arbitror, & aliud, quod imitandum magnopere exiſtimo. Alexander ille magnus, Macedonum Rex potentiſsimus, idolatra, Aeacidęq; idolatrę æmulator eximius, adeò Achilliados Homeri opus ſibi familiare fecerat, vt die inter prelia, dum vacaret, ſtudioſè lectitaret, ac nocte ſub capite cum pugione poneret, dum dormiret. Illud enim erat animo delitium, hic corpori tutamen. Quid ad hec Chriſticolæ inertes, atque indeuoti dicent, quibus Sanctorum geſta perinde pręponuntur, ac exemplaria viua ad imitationem, & eorum vitam exhortantur æmulari pro laurea, & gloria regni cœlorum? Te autem, diſertiſsime, & ſtudioſiſsime Princeps, Cardinalis deuotiſsime, vitam Patris tui BENEDICTI, & ante, & poſt ſacra comitia ſedis Apoſtolicę omni, qua pręſtas auctoritate lecturum eſſe, non ambigo; Quin eam in aſylo tuo receptam, non velut transfugam, & exulem, ſed vt familiarem, & domeſticam defenſurum, ſi opus fuerit, aduerſus detractorum iacula, & ſuſurro-

num,

num, nugamenta, & veritatis clypeo, & pietatis mucrone ſpero, ac certo certius credo. Vale, Quiritum decus, Eccleſię ſanctę columen, profugium dulce, ac propugnaculum Benedictinæ vnionis inexpugnabile. Ex ſacro Caſino. Calendis Maij. M. D. LXXXV.

PETRI BLANCI RECTORIS COLLEGII FLORENTINI SOCIETATIS IESV

AD R. P. D. ANGELVM SANGRINVM.

MAGNVS Gregorius BENEDICTI *maxima facta*
Mandauit ſcriptis liberiore ſtylo;
Tuq; ſophocleo cantas qui digna cothurno,
Eiuſdem numeris, Angele, ſcripta canis:
Ille quidem docuit, tu delectare docendo
Eligis, hinc punctum doctius, vt omne feras.
Gregorium ergo ſenes, ſed te iuueneſque, ſeneſque,
Et pueri dociles auribus, ore terant:
Nam numeroſa meas oratio dulcius aureis
Influit, & memori cogitur illa ſinu.
O fœlix ſoboles tam ſancto digna parente,
Cuius in vnum abijt vox variata patrem.

INNOCENTII FONTANII
SOCIETATIS IESV RELIGIOSI
Ad Eundem de eadem re.

ECCE Caſinenſis verſu facis, Angele, montis
Culmina, Muſarum nobiliora iugo:
Illic pandit equi maledictos vngula fonteis,
Quos per Appollineos currere fertur agros;
Tu dextra Angelica Benedictum hic, Angele, flumen
Pandis, quo CHRISTI *prata liquore rigas.*
Vero igitur CHRISTO *mendax, vt cedit Apollo*
Dextris Angelicis vngula cedat equi:
Fluminibus cedant fontes, Heliconq; Caſino,
Quandoquidem factis cedere ficta decet.

EIVSDEM ALIVD.

FERT benedicta arbor benedictos viſcere fructus,
Et CHRISTI *largo fœnore ditat agrum.*
Hos verſu Angelico collectos, Angele, promis,
Et BENEDICTI *aperis plena caniſtra cibi;*
Quo longè, ac latè toto benediceris orbe,
Hocq; opus Angelicæ noſcitur eſſe manus.
Quid loquor ergo? inter dulceis velut anſer olores?
Cur rauca Angelico miſceo verba ſono?
Ah tace, at Angelicum vos, vos, ſacra turba, poetam
Angelica Angelici tollite laude Chori.

DISER-

DISERTISSIMO PATRI P. D. DESIDERIO A BRIXIA SACRI CASINENSIS COENOBII ARCHIMANDRITAE AMPLISSIMO,

Angelus Sangrinus humilis Monachus
Salutem, & Pacem.

CVM Vir ſis deſideriorum, deſideratiſsime Pater, ſuperioribus diebus, ſi bene memineris, vt ego oblitus ſum minimè, omni, quo efflagras animi deſiderio, atque ferues deuotionis affectu, mihi vltro, & inopinè commiſiſti, immo enixè præcepiſti, vt vitam Beatiſsimi Patriarchæ noſtri BENEDICTI *proſaico charactere perſtringerem, diuerſoq́ue metro decantarem, eam procul dubio decernens fore deuotis vniuerſi orbis cœnobitis præfulgidum religioſæ vitæ* SPECVLVM, *pijsq́ue ſecularibus inſigne pietatis exemplar tam ratione, quàm auctoritate cuncta corroborans. Dicebas enim, Mira virtutum neceſsitas probatur, humanis mentibus inſita, cum cuncta, quæ cogitamus, & agimus coram oculis Dei ſingula videntis, &*

exactè iudicantis putemus, & operemur; quare ergo, & arte alumna naturæ, & diligentia artis miniſtra non præponimus intellectui noſtro virum aliquem, & ſanctitate clarum, & virtute illuſtrem? quò quaſi nobiſcum præſente, & conuiuente ſanctitatis eius decore componamus animas noſtras, & opera noſtra virtutis ipſius candore illuſtremus. Hoc fortaſſe Paulus gentium doctor innuere volebat, cum diceret: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI. *Nam adeò* CHRISTI *imitator erat, vt inter Galatas gloriaretur clamans: Viuo ego, iam non ego, ſed viuit in me* CHRISTVS; *&, ne quis ei moleſtus eſſet, addit; Ego enim ſtigmata* IESV *porto in corpore meo, cui confixus ſum Cruci, & alibi; Nunquid experimentum eius quæritis, qui in me loquitur* CHRISTVS, *Se viuum præferebat imitandum in terris opere, & veritate;* CHRISTVM *verò adorandum in cœlorum cœlo fide, & pietate hortabatur. Conducit plurimùm, & mangopere iuuat, nec inficior, niſi alluciner, iuſtum aliquem, aut ſanctum menti illuminandæ imponere, quem ſæpe videas, crebrius reuerearis, veluti probitatis inſtructorem, improbitatiſqúe Cenſorem. Id namque longè præſtantius duxerim, ſi ita te geſſeris, ac ſi ſub alicuius prudentis, ac ſpectabilis præceptoris ferula inſtruaris, & viuas ſub ala morigerati viri, donec ipſe euaſeris*

talis,

talis, & tantum profeceris, vt ſit tibi etiam tui metus, & reuerentia, ac te eum geſſeris, cum quo nec peccare audeas, nec te pudeat bene viuere: Hac, ni fallor, ratione prudentiſſimus anachoretarum princeps, trilinguis Hieronymus, ſanctitatis ſpeculum, omniumque virtutum exemplar ad aureis Paulini ſui amantiſſimi vociferatur: Habet vnumquodque propoſitum principes ſuos; Romani Duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones; Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem; Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium; Menandrum, Terentium; Hiſtorici Thucydidem, Saluſtium, Herodotum, Liuium; Oratores Lyſiam, Gracchos, Demoſthenem, Tullium; Et, vt ad noſtra veniamus, Epiſcopi, & Presbyteri habeant in exemplum, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros; quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum; Nos autem habeamus propoſiti noſtri principes, Antonios, Iulianos, Hylariones, Macharios; quibus & ipſe meritò, ac dignè audeo addere, atque accomitari BENEDICTVM*, anachoretarum principem, cœnobitarum monarcham, qui ab vnguiculis fuit omnium iuſtorum ſpiritu plenus, qui ante ſenem ſenuit, & vir fuit ante virum, terreſtris, inquam, angelus vita, & conuerſatione, cœleſtis incola terræ gratia ſanctitatis, & miraculo-*

rum prodigijs, qui, quaſi ſtella mattutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena, in diebus ſuis luxit; & quaſi ſol refulgens, ſic iſte refulſit in tẽplo Dei. Nam ſpiritu Patriarcharum, atque Prophetarum gratia præuentus, Abrahæ fide ſe à teneris Deo omnium parenti deuotè obtulit: Moyſen, tam in lege ſtatuenda, quàm in aqua ex petra elicienda, ſectatus; Eliam in educatione corui, & in duplici ſpiritus munere æmulatus eſt; Eliſæum in ferro ex gurgite abſtrahendo, aut vicit, aut æquauit. Quid plura? Dauid ſecundum cor Dei electum, omniumquè regum, qui in terra ſunt mitiſsimum mirificè imitatus eſt in crudelis Presbyteri ſtrage, atque repentinæ domus eius ruinæ deploratione. Vir vtique dilectus deo; & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt; ſal terræ, lux mundi, lucerna, non ſub modio abſcondita, ſed ſuper candelabrum accenſa, fidelis ſeruus, paſtor bonus, miles Christi, *ſub cuius vexillo tot reges ſub nigro cucullo, ac ſub aurea galea militarunt, quorum duo corpora, vt clarius tibi compertum eſt, ſunt in ſacro Caſino tumulata; alterum Caroli Manni Gallorum (vt fertur) regis; alterum verò Rachis Longobardorum regis. Tot, inquam, Principes, tot Duces, tot Comites, tot cæteri innumeri domini, atque magnates orbis terrarum, quorum telam ordiri, ac hiſtorias texere, non tam*

faſtidio,

faſtidio, quàm intolerabili tædio eſſet. Non ne ſub eius Regulà diſcretione præcipua, ſermone luculenta profitentur Monachi Caſinenſes, Cluniacenſes, Præmoſtratenſes, Ciſtercienſes, Camaldulenſes, Vallis vmbroſæ, Humiliatorum, Montis oliueti, Montis ſani, & aliorum, quorum memoria mente excidit; ex quibus millia millium Martyrum, & Confeſſorum centena millia, virgines, vt ſtellæ cœli, & arena maris, ſemen benedictum, vt ſemen olim Abrahæ promiſſum. Cæterum non prætereundum arbitror ad Chriſticolarum ruborem, atque ſcriptorum verecundiam, quòd Valerius ille Maximus hiſtoricus miro ſtudio, maiori depromit prudentia de moribus, & geſtibus Romanorum: Maiores, inquit, natu in conuiuijs ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, vt ad ea imitanda virtutem iuuenum alacriorem redderent. Non nulli Quiritum nobiles in proprijs ædibus non modò marmoreas erigebant ſtatuas, ſed æneas imagines in compitis, veluti pro roſtris ſtatuebant ad Heroum facta imitanda à pubeſcente poſterorum iuuenta, florentiſque iuuentæ ſolerti æmulatione. Quibus denique exemplis imitatu digniſſimis, optime perceptis, te vehementer admoneo, ac enixius præcipio, vt tu quàm primum vitam talis, ac tanti viri, ac Patris noſtri BENEDICTI *elucubrare aggrediaris; Quòd*

ſi obe-

ſi obedientiæ merito effeceris. & Patriarchæ noſtri laude compleueris, ego tibi polliceor, protinus illam edi facere in lucem ad mortalium quidem hominum ſalutem, & ad æternam Patris gloriam. Tunc ego eloquendi arte inſulſus, & dictandi ſtudio ignarus, vir videns paupertatem meam, illico prouinciam, meis viribus imparem verecundè incuſaui, graueque onus meis humeris humillimè oppoſui, quod angelorum linguis exprimendum, ac eorum calamo (ſi facile eſſet) deſcribendum audaciuſculè differebam. Tu demum, Pater, non tantum tibi natus, ſed amicis, & patriæ, non tua quærens, ſed, quæ ſunt IESV CHRISTI, *& proximi, te perinde opponebas, ac murum, & antemurale pro pietatis amore, quo maximè erga ſanctorum geſta efflagras, tum pro animarum ſalute, quam mirificè exoptas, quæ tua eſt à cunabulis religionis (vt verum fatear) benigna religioſitas, atque religioſa benignitas, iterum, atque ſæpius rem iubebas perficiendam, tum premio in cœlo adipiſcendo obedientiæ, tum Patris* BENEDICTI *ſpectabili decore, & ingenti gloria exponenda in terris. Ego ipſe inter ſacrum, & ſaxum coniectus, & intruſus cum Suſanna exclamaui: Anguſtiæ ſunt mihi vndique, &, quid eligam, ignoro: ſi hoc egero, vt agreſtis, & imprudens, opprobrium ero detractorum, & deriſio ſuſurronum, ſi autem non*

egero,

gero, tanquam vir rebellis, & duræ ceruicis in peccatum ariolandi, quod eſt non obedire, turpiſsimè dilabor. Melius eſt itaque obedire, quàm derelinquere legem Dei mei, domini mei, & magiſtri mei CHRISTI IESV, *qui cum eſſet ſapientia Patris, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam vſque ad mortem, mortem autem Crucis, & factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, & ſui vicem gerentibus cauſa ſalutis æternæ. Tum demum in me penitus diffiſus, & in eo quàm maximè confiſus, non inconſultò opus aggreſſus ſum, atque ad calcem lætiſsimè exegi, tua nihilominus lima expoliendum, exactaqúe cenſura corrigendum; quod eò libentiùs mitto, quò tibi fore gratius noui; vtinam præ Deſiderio tuo, meaqúe deuotione ſit monachis proſpicuum Religionis ſpeculum, & laicis non obſcurum exemplar. Vale cœnobitarum decus, & me, vt ſoles, dilige, & ama. Ex cœnobio Caſinenſi. Kalendis Maij.* 1585.

AD LECTOREM.

Socratis ò præclara ſenis doctrina: monebat
Hic iuuenes, SPECVLVM quenque tenere ſuum,
Quo vultum ſpecularentur, quo ſæpe figuram
Corporis inſpicerent, an ſine labe forent;
Et, ſi eſſent facie deformes, corpore turpes,
Se colerent pulchra nobilis arte ſophi,

Muſarum

Muſarum ſtudio, virtutis honore, nefandi
Contemptu ſceleris, proprietate boni.
En tibi do SPECVLVM *, iuuenum pulcherrime lector,*
Vt probitate illis pulchior eſſe queas:
Non fragili conſtat vitro, ſed Patris honeſta
Nurſini vita fulget, vt ipſe vides.
Hoc vtraque acie, quæſo, ſpeculare, ſupellex
Quàm tibi ſit curta, & quàm breue in æde penu.
Pulcher vt es forma, virtute venuſtior eſto,
Vt bona contingant vtiliora tibi:
Si quid erit deforme, tuis redimito modeſtis
Moribus, atque operis ſtrenuitate pij.
Montis in excelſo miratur vertice ſancti
Exemplar Moſes, quo ſacra ritè gerit,
Quo Iudæ ſoboles proauitum numen honoret,
Et ſibi fautorem curet habere Deum;
Hoc Chananea Abrahæ promiſſa ſubintrat opima
Regna Iſaac proles, hoc colit arua Iacob.
Hoc immane feri obtruncat caput enſe gigantis
Dauid, & hoc fugitat Saulis ab ore Satan:
Par tibi do vitæ BENEDICTI EXEMPLAR*, vtraque*
Sume manu, atque oculo proſpice vtroque datum.
Nam ſacra cœleſti moderaberis ordine facta,
Factaque terrigenûm non ſine laude geres:
Hoc technas colubri reteges, hoc agmina vinces
Tartaridum, figes hoc ſuper aſtra thronum;
Hoc eris in vita fœlix, poſt fata beatus,
Si pia Nurſini feceris acta Patris.

IN VITAM BEATISSIMI BENEDICTI MONACHORVM PATRIARCHAE SANCTISSIMI.

Auctoris Præfatio.

NVRSIA eſt vrbs inter Sabinorum vrbeis antiqua, ſitu amœna, agrorum vbertate feraciſſima, aquis irrigua, ciuium nobilitate ſpectabilis, non minus legibus, probiſq; moribus inſtituta, quàm armorum artibus, atque bellorum inſignibus decorata; In hac ſiquidem fœliciſſima ciuitate perinde ac flos campi, liliumque conuallium ex illuſtri Patricio Romano, nomine Proprio, atque ex nobili matrona à Nurſia, nomine Abundantia natus eſt infantulus, qui ſacroſancto Baptiſmatis lauacro renatus non abſque rei preſagio BENEDICTVS eſt à parentibus meritò appellatus. Is namque velut alter Moſes Monarcha inclytus in deſerto Sina, atque inter Iſraëlitas diſertiſſimus legifer enituit. Nam clarus in Sublaci rupibus Eremitarum Patriarcha, in occidua regione, ac ſi alter Baſilius ille magnus Cappadox in orientalibus oris legiſlator Cœnobitarum mirificè effulſit. Haud ab re opificem omnium rerum Deum duo luminaria magna in Firmamento Eccleſiæ effeciſſe non abſurdè, & incongruè duxerim; verum prouidè, ac vtillimè non minus, quàm neceſſariè; vt mirabile nomen eius ab Oriente, vſque ad Occidentem celebretur, veneretur, adoreturque; & nemo ſit, qui voluerit piè viuere in CHRISTO, iugum ſuaue, & onus leue gerere, ac lætiſſimè (dimiſſis omnibus) Crucem poſt eius veſtigia tollere, atque ipſius ſtigmata cum Paulo portare, valeat à calore horum ſpiritus, & à ſplendore eorundem doctrinæ abſcondi, atque eos, tamquam fideleis duces, peritoſq; inſtitutores facillimè imitari. Et licet huius noſtri patris Sāctiſſimi BENEDICTI vitam Magnus ille Gregorius Romanus, Pontifex Maximus, Eccleſiæ columen, orthodoxorum ſcriptorum decus, & ornamen-

† † † tum

tum diſertiſſimo deſcripſerit Dialogo, adeò pedeſtri, ſolutaque òratione ad vnguem, & examuſſim elaborato, vt nil proculdubio addi, vel minui quicquam poſſit; tamen poſt breue temporis curriculum Diuus Bertharius, CHRISTI martyr inſignis, huiuſque ſacri cœnobij Caſinenſis Archimandrita eximius, vir vtiq; tum doctrina conſpicuus, tum ſanctitate pręclarus vitam prædicti patris beatiſſimi elegiaco verſu, & piè, & religiosè decantauit. Et, ne ſicco calamo prætercam, quod cœlitus mihi occurrit ex inſperato, hic inuictiſſimus martyr CHRISTI Bertharius, non tantum in rebus diuinis fuit oculatiſſimus præſul, verum in humanis negociis fuit ſtrenuiſſimus princeps. Nam ciuitatem Sancti Germani pro tuendo monaſterio, in fundo eius condito, ab Agarenorum frequentibus incurſibus affabrè ædificauit; cœnobiumque ſuperius in monte ſitum, tum mœniis fortiſsimis cinxit, tum altis turribus muniuit; ac bis Galliam adiit pro exercitu contra Iſmaelitas deducendo, vt illos prorſus ab afflicta Auſonia profligaret, quod fœliciſsimè (Deo maximo optimo opitulante) effecit; tãdem poſt tot pro Chriſti fide labores ſuſceptos, periculaque adita, dum CHRISTO IESV Pontifici magno ſacra litaret, atque cominus proſpectaret ab Agarenis circundari, & ab eorum Duce ſe illico mactandum aduerteret, flexo ante aram poplite, erectiſque ad æthera luminibus, exclamauit, In manus tuas, Domine, commẽdo ſpiritũ meum; tunc ab immani Agareno ſtatim detruncato eius vertice, ad eum triumphator laureatus euolauit, pro cuius fide inuictiſsimè pugnarat; intrauitque in ſancta, non manufacta, ſed æterna, CHRISTI ſanguine inuenta, Sacerdos, & Hoſtia, in altari beati Martini, in momento, in ictu oculi effectus. Hunc beatiſsimum, diſertiſsimumque Martyrem poſt nonnullos alios, Marcus quidam monachus deuotiſsimus, ac poeta, non obſcurus, & vulgaris, verùm ob poeſis facultatem nominatiſsimus, imitatus eandem Nurſini monarchę vitam heroico carmine, non tam profuſè, quàm eruditè perſtrinxit: vt quæ in palma multorum dirutilaret latius, in ſuo pugno concinnius effulgeret. Ego ipſe (vt verum fatear, & acu rem pungam) minimus omnium monachorum, & vita, & religione, tàm doctrina indigentiſsimus, quàm facundia pauperrimus, haud ſecus atque abortiuus, omni dili-

gentis

gentis filij officio, ac potius pietatis affectu ſuccenſus, plurimorum patrum conſilijs adhortatus, atque fratrum prece, & deuotione enixius compulſus, quibus plurimum debeo, & multo magis debere congratulor, ob eorum in me fidem, & obſeruantiam, vitam Patriarchæ noſtri, craſſa licet Minerua, inconcinnoque calamo, ſumma tamen deuotione, maiorique affectu elucubratam, in quatuor diſtinxi volumina, ac vnicuique volumini, præpoſitis compendijs, ſingula vitę actuum argumenta, elegiacis verſibus, ac ſi quatuor gemmis decorata, concinnè inſigniui; addidi etiam quędam Moralia in calce vnius cuiuſque vitæ actus, tamquam appendices, quæ, & virtutes inſectandas doceant, & vitia penitus aſpernenda, vt opus, & fas eſt, commonefaciant; non quidem verborum phaleris, eloquentiæ fuco, atque Poetarum fabulis operam nauans, verùm ſimplici veritatis teſtimonio, atque candidæ miraculorum relationi inuigilans, tam fideliter, quàm chriſtianè (CHRISTO IESV duce, & auſpice) non inauſpicatò elucubraui; Quę demum omnia, ſi (vt ſpero, & lectoris modeſtia non me fallit) placuerint, nil aliud pro labo ris premio expoſco, niſi vt laudetur fons ſapientiæ, verbum Patris in excelſis, inter mortaleis caro factum, fructus virginei partus CHRISTVS IESVS, à quo omnia, veluti à cunctorũ principio emanant bona, & progrediuntur iuſta, & recta, ſin autem quòd deuotè potius, quàm eruditè edidi opuſculum, ruditate ſua, ſuaque inconcinnitate horridũ videbitur his, qui nodum in ſcirpo quærentes, &, non inuento, reperiunt (vt fertur) in ouo pilum, ne velint enixius obſecro, Rhinocerotis illico naſum criſpare, aut Mimi linguam acuere, ſeu ſe diris Zoili dentibus armari in illud, ſed in primis aduertant, ne liuoris nube allucinentur, aut illo, neſcio quo, à natura in nobis inolito vſu malo, vt potius aliena cenſeamus facta, quàm propria videamus vitia. Nam nulla tam incompoſita, & inelegans lectio eſt, (dummodo veritatis decore fulgeat, & religioſæ doctrinæ non diſsideat) quæ non ſit digna lectu, laudabiliſque auditu. Meminiſſe velim hos Solones, hos Ariſtippos, hos inquam tertios Catones, de ſummo cœlo elapſos illius præclari Maronis reſponſi, qui dum ſenis Ennij poema lectitaret, interrogatus ab amico, quid ageret, reſpondiſſe, & argutulè, & vtillimè legitur: Ego, ſi quis ſum,

aurum de Ennij ſtercore elicio: Delphicum oraculum, non humanum ſcomma, vel imperitorum cauillum, quo nonnulli ſe Ariſtarchos preferentes,& inter mulierculas philoſophantes ſapienter arguuntur, ne deſpiciant aliorum ſcripta, ſed plurimùm venerentur, & exoſculentur. Haud mirum ſi inter laureatos poëtas Mantuanus iſte auream gerat palmam, gemmantiq́ue coronetur laurea. Prudētiſſimus quiſque hominū ſapientium omnia auctorum ſcripta legit diuerſo oculo, varioq́ue ſenſu digerit, ac ſi delitioſus, prudenſq́ue vir ingreſſus viridarium; oblectatur enim varietate florum, nec tamen omneis excerpit, ſed eos tantum, quos ad guſtum ſuaueis,& odoriferos æſtimauerit, non ſuccenſet olitori, non ſpernit viridarium, verùm, ſi qua ſunt ſibi parum grata, minus iucunda, abſque murmure, ſine detractione, aliorum ſenſibus, & guſtui lubentiſſimè dimittit decernenda. Plato ſiquidem inter Philoſophos tali, ac tanta effloruit doctrina, & eloquentia, vt diuinus Philoſophantium princeps meritò diceretur, & inter eos communi voto, pariq́ue ſententia philoſophatum eſt, quòd, ſi Iuppiter obuerſaretur inter mortaleis, & græcè loquuturus eſſet, non alia, quàm Platonis lingua vteretur, & nihilominus tanto ſtudio Pythagoricę lectioni operam nauit, vt Philothei Crotoniatæ (fuit is Pythagoricus) libros magno pretio emeret, emptos tali diligentia percurreret, vt dum capululo inſtaret, ſub puluillo, cui caput deflexerat, inopinatè reperirentur. Cicero Arpinas, vir ad eloquentiam natus, ita Platonis lectioni inuigilauit, vt alterum Platonem, prçter effigiem, & doctrina,& eloquentia prę ſe ferret, pari elucubratione Iſocratis iucunditatem imitatus, Demoſthenis eloquendi vim, & perorandi æſtum,& energiam fœliciſſimè aſſecutus eſt, quorum denique titulos virtutum, aut exęquauit doctrina, aut ſtudio ſuperauit. Quid de magno illo Alexādro addam? qui Homeri opera æquè lectitaſſe ſcribitur, vt etiam in bellicis expeditionibus, dum dormiret, & pugionem, & Homeri libros ſimul capiti ſupponeret, quos tanti fecerat, vt in aureo ſcrinio, quod in Dariana præda compararat, digniſſimè ſeruaret. Cæterum ne euagari per aliena caſtra, tanquam transfuga, videar, ad noſtra, velut explorator, redeundum cenſeo. Origenes ille, qui, vt euangelicam lectionem ſimpliciter, & purè perficeret, ſe pro cœlorum regno caſtrauit,

uit, fons vtique eloquentiæ irriguus, doctorumque princeps maximus, ita die lectioni orthodoxorum inuigilauit, vt nocte nunquam ſomnum caperet, niſi illum prius lectione incantaret. Baſilius Cappadox Philoſophorum columen, cum omnis humanæ ſapientiæ affectator eſſet, quo Magni nomen ſibi meritò vindicauit, & omneis arteis liberaleis, ac gentiliũ libros aſpernatus diuina mirari cepit, ac tanto mentis affectu complecti, vt, panis, viniq́ue vſu intercepto, tam diu eiuſmodi alimentis abſtinuit, quam diu in diuinis libris euoluendis veritatem inueniret. Nonne Aurelius Auguſtinus, inter Dialecticos ſophiſtas acutiſſimus, omneis barbarorum libros indagauit, vt verum inueniret in eorum ſcriptis? ſed id minimè aſſecutus in Manichæum prolapſus eſt delirium; nec à tam lethifero lapſu vnquam ſe abſoluiſſet, niſi vitaleis, diuinaſq́ue Pauli epiſtolas frequenter legiſſet. Quid de Stridonenſi, pœnitẽtiæ ſimulachro, omniumq́ue diſciplinarũ exemplari, trilingui viro Hieronymo eruditiſſimo loquar? qui iuuenis ſtudioſus Platonis opera, atque Ciceronis libros ita die, noctuq́ue admiratus eſt, vt quandoque ante Iudicis tribunal raptus, ſe non eſſe Chriſtianum, ſed Ciceronianum non ſine rubore, & abſque flagro, liuentibus ſcapulis, amariſſimè perciperet. Mellifluus inter orthodoxos, & deuotiſſimus Bernardus monachorum ſpeculum, nõ inter Stoicos, aut Peripateticos in Academia, vel Stoica, humanis inſudauit diſciplinis, verùm inter ſimpliceis eremicolas, deuotoſq́ue cœnobitas in ſiluis, & cœnobijs, adeò vtriuſque legis lectioni operam dedit, vt in myſterijs ſacræ paginæ enucleandis, nulli hominum ſit ſecundus interpres, & candore leporis, & deuotionis ardore. Quid de te loquar, Angelice Doctor, Italicum lumen, Thoma Aquinas? Cui ita impenſa, & penſiculata fuit lectio, vt quandoque non aduerteres vultus eorum, qui tecum loquerentur, nec eorum voces perciperes, qui te interpellarent; ita enim animo fixus inhærebas, vt alijs ſenſibus vacares minimè. Tu demum (ſi quis es ingenuus, ac diligens lector) hoc noſtrum magis deuotum, quàm elegans opuſculum perlegas, deprecor, eo deuotionis affectu, quo Beatiſſimum Patriarcham noſtrum Benedictvm complecteris, & ad cuius gloriam opus eſt maximè elucubratum. Nam in eo ipſius vitam fideli calamo deſcriptam, dulciq́ue carmine decantatam

tatam perinde ſpeculaberis, ac in ſpeculo fulgentiſſimo, vnde eò frequentius ſpero vtraque manu reuolues, ac perſpicaciori animo ſcrutaberis, quò certo certius præclara eius geſta, vſque ad ſupremum vitę ſpiritum ſole lucidiora inuenies, omnique ſtudio, cura, ac diligentia non contendenda, ſed potius imitanda duxeris. Quid enim deformius, quid ipſa ſtultitia ſtultius, quàm humanum os, quod ad perſoluendas Deo laudes effigiatum, velut ſuinum rictum, in hominum ſordiculas æquè atque in luti fecem immergere? Sus nanque libentius in cœni proluuiem figit rictum, quàm pedem in fonte conſpicuo lauat. Nihil ergo cum Amaracino ſus, nihil cum fidibus Graccus. Nos denique, ſi qui ſumus Patriarchæ Monachorum BENEDICTI ſectatores, deſpectis detractorum ſannis, velut viperarum ſibilis, ac luporum latratibus, contemptis ſuſurronum gerris, ęquè atque Sirenarum cantibus, & Cocodrili lachrimis, vtroque lacerto complexis deuotis, & pijs lectoribus, deoſculatis millies fidelibus auditoribus, curramus prępete pede, mente pia, corde fideli poſt odorem exemplaris vitæ, poſt immortalem fragrantiam mortis Beatiſſimi Monarchae noſtri BENEDICTI, in hymnis, & canticis laudantes eum, qui eſt laus Angelorum, merces noſtra, & gloria ſanctorum CHRISTVS IESVS, Dei verbum ab æterno, in tempore Virginis Matris Fructus ventris, qui viuit, & regnat Deus in ſæculorum ſæcula Amen.

PRIMI

PRIMI VOLVMINIS
VITAE D. BENEDICTI
ABBATIS
COMPENDIVM.

NVRSIA quem genuit BENEDICTVM, *Roma Quiritum*
Iura peritorum, tenera cum pube, docendum
Excipit; hic potius vitio, quàm incumbere pubem
Virtuti cernens retrahit veſtigia, Romam
Horret; eremicolûm ſuſpirat in antra, peroſus
Romulidum ſedeis, Effidæ rura ſubintrat:
Hîc fractum renouat cribrum; hinc nutrice relicta,
Nocte abit; vmbroſum luſtrat nemus: obuiat almo
Romano, cuius dextra coopertus ouina
Pelle ſub anguſta Sublaci rupe locatur;
Bella vbi perpeſſus Satanæ truculenta ferocis,
Presbyteri ſacro recreatur Paſchate; fratres
Hunc, Patre defuncto, in Patrem accerſire laborant,
Cuius pertæſi vitæ, dum aconita propinant,
Ipſe ſtatim repetit rupem, grege prorſus omiſſo.

VITA BEATISSIMI BENEDICTI,

MONACHORVM PATRIARCHAE Sanctiſsimi tum ſoluta oratione complexa, tum diuerſo metri genere emodulata.

ARGVMENTVM PRIMVM IN primum Vitæ articulum.

INTER Omneis Sabinorum ciuitates Nurſia eò eſt præſtantior, quò fœlicior; Nam ex illa Pater BENEDICTVS æquè atque Sol è ſummo polorum vertice effulget, ac velut odoriferum lilium ex agro pleno, cui benedixit Dominus, oppidò quàm efflagrat; Hic demum, & doctrinæ radijs totum illuſtrat orbem, & vitæ ſanctimonia, virtutumq; odore paſcit, ac reficit chriſticolarum populos.

TETRASTICHON.

NVrſia quàm fœlix, nitet hinc Benedictus, vt alto
AEthere Sol, ab agro lilium, & alba roſa.
Hic totum irradiat diuino lumine mundum,
Hic mundum vita paſcit odore piæ.

VITA

NVRSIA quàm fœlix ſit, quàm præclara Sabinas
Ante Vrbeis rutilet, quæ terris bina profudit
Lumina maiori pandunt ſuper æthera luce:
Sol velut ex alto fulſit Benedictus ab illa,
Et ſoror, vt luna, enituit Scholaſtica virgo;
Illuſtri patre, & eximia genitrice ſub vno
Progeniti partu gemini, ſacroq́ue renati
Fonte, vt odoriferæ cedri Crucis arbore nixi:
Hoc magis efflagrant, quò plures vndiq; ramos
Relligionis alunt, quà oritur Sol, qua occidit ora;
Et quia Nurſini (fas eſt) patris inclyta dulci
Decantare cheli à cunis benefacta, & ab ortu,
Gregorius veluti magnus canit ore diſerto,
Abs te Principium ò Mundi, ò Stellantis Olympi
Autor IESV adſis, oro te, illabere cœptis,
O Patris omnigenum Sapientia, nobile Verbum.
Per quod ab æterno aſciti ſunt matris ab aluo,
Si qui ſunt hominum pueri ſuper aurea Diuûm
Atria municipes fruituri numine trino,
Atq́ue vno, tam anima ſuperis, quàm corpore iuncti.
In Cæli rore, ac terræ pinguedine ſanctus

Hic

Hic puer ante ortum benedictus, & auſpice IESV.
Poſt ortum nomen ſortitus tale, modeſtus,
Sic viuebat humi, vt qualis ſuper aſtra futurus
Eſſet, aperta daret præſagia, mitis, honeſtus,
Deuotus, verax, humilis, propenſus in æde
Patris ad ipſius ſectanda inſignia vitæ
Exempla, atque piæ Matris memorata per horas
Dogmata virtutum, longè propenſior ædeis
Viſebat ſacras: ſpectra autem, & vana theatri
Pegmata vitabat, tetricæ præludia ſcenæ,
Atque puellarum choreas, iuuenúmq; palæſtras,
Lucida ceu mortis fugiens aconita ferocis,
Illecebras carnis, mundique obſcœna doloſi
Gaudia ſpernebat, tam orbi, quàm gratus olympo,
Et grauitate ſenum, & iuuenum probitate decorus.

ARGVMENTVM VITAE Secundum.

CVM Puer BENEDICTVS Pythagoricum virtutis, ac vitij biuium attigiſſet, & ad illud quartum difficile, quod ſapientiſſimus Salomon penitus ignorauit, proſperè perueniſſet, pater indolem eius ad ſapientiæ, virtutiſque ſtudia pronam aduertens, Romæ inſtruendum literis, ſtrenuæ nutrici eius, Lucillæ nomine, magnopere commendauit.

TETRASTICHON.

POſt lachrymas, poſt amplexus, poſt crebra parentum
Oſcula, Nurſinus carpit ephebus iter,

Nurſia, quem genuit Benedictum, Roma docendum
Aurea Romuleæ dogmata pubis alit.

VITA.

DVm pater illuſtri puerum videt indole clarum,
Ingenioquè acri inſignem, quibus inclyta virtus
Diſcitur, adiunxit ſtudijs, vt imagine cera
Se mollis, ſic ſe tener infans imbuat arte.
Deterius nihil eſt iactura temporis; omni
Segnitie exploſa, Lucillam affatur honeſtam
Proprius, ac puerum commendat in Vrbe docendum
Mores Romulidum, & pubis monimenta Quiritum.
Strenua, quo præſtat ſtudio, muliercula paruum
Excipit amplexum, roſeo premit oſcula fronti,
Aſſurgit Domino, Dominam complexa, Valete,
Ingeminat, mea ſpes, Nurſinæ gloria terræ.
Hanc, velut agnus ouem, ſequitur Benedictus, vt vmbra
Corpus; ouicula non fœtum fugit, illa nec vngue
Linquit eum, niſi vbi proles Romana monetur
Prima Palemoniæ rudimenta, & grammata linguæ.
Blandus in amplexum patris ruit, oſcula matri
Mutua dat, recipitquè puer, lauat ora parentum:
Lachrymulis, veniam poſcit Romana petendi
Mœnia: dimiſſo curſim lare, matris amorem,
Et patris affectum dulci moderatur amore,
Affectuquè pio nutricis, inire paratis
Sarcinulis, iter accelerat fœlicibus auris.

ARGV-

ARGVMENTVM MORALIS PRIMI.

PVERI ſunt à teneris inſtituendi bonis ſtudijs, non vanis exercendi artibus, aut improbis officijs.

NObilius nihil eſſe cano, quàm pignora claris
Moribus, eximia Heroum virtute piorum
Doctrina inſtitui Sapientum; Proprius omni,
Qua præſtat cura, puerum genitricis ab amplo
Vbere lactatum, diuino pane cibari
A nutrice iubet, nec ab vllo ſpernitur eius
Tam propenſa voluntas, quàm huius cura fidelis.
Nec fallit Proprium nutrix, nec honeſta Cyrilla
*Fallitur à Proprio; B*ENEDICTVS *ad æthera ſpirans*
Ducitur altricis ſtudio, vt genitricis amore
Per virtutis iter; ſub honeſti tecta magiſtri,
Doctrina erudiendus ſana, pectore puro
Viſurus delubra Dei, fugiturus iniquæ
Gymnaſium pubis, ſubiturus iuſſa parentum.
Improbus hæc quicumque audit pater, aure benigna,
Ac docili aduertat, multum prodeſſe ſenectæ,
A teneris aſſueſcere, ſeu bona geſſerit acta,
Seu mala, quod Deus auertat. Quem mater ab aluo
Edidit infantem, virtutis amore laboret,
Algeat, efflagret, nimio ſudore madeſcat;
Quod ſemel edidicit, memori ſub corde volutet;
Ne mente excedat; ferrum rubigine ſordet,
Ni lima expolias, vel ab igne abſtraxeris; æquè
Ingenium torpet, niſi crebro exterſeris vſu;

Difficile

Difficile emollis, longo quod tempore duret;
Quas didicere artes pueri, coluere tenaci
Mente ſenes, nec ab inceptis deſiſtit ephebus;
Quæ, puer aggreſſus, ſenio molitur honeſto;
Sumit enim vires virtus ſtudioſa, nec vnquam
Torpeſcit, ſi illam laudis calcare perurges.
An Patres ſunt dicendi, quos cernis inerteis
Infantes nutrire ſuos, aut dedere vanis
Artibus, ac ſtudijs iuuenem exercere profanis?
Nonne Peremptores potius, quàm dixero Patres?
Corporis, immo animæ, imprudentes, lumine cæci
Humano, nec non diuino. Prouidet ille
Delitias puero blandas; iuuenemque palæſtra,
Aut chorea exercet: venari animalia ſyluæ
Dira, vel expertis canibus, vel retibus arctis,
Seu pedica lepores laqueo captare tenaci,
Aut liquido volucres viſco docet; alter hic arte,
Qua valet, arma monet iuuenem tractare, feroceis
Si quos frenat equos, agitare per arua, per vrbem
Illuſtreis inter proceres incedere ſeptum,
Tam peditum, quàm equitum turmis, mirabile viſu;
Omnes aſſurgunt, reuerentur, vertice nudo,
Poplite curuato; iuuenis ſine fronte ſuperbit
Grande ſupercilium; ſimplex inſania, duplex
Stultitia: Obturget vultu, cor ſoluit in auras.
O miſer, humano infatuatus honore, ſupernum
Non metuis Regem, elatos qui trudit ad ima,
Extollitque hmiles, Cæli ſuper arce nitentes.
Eſto humilis puerumque tuum, ceruice repreſſa
Admonito, vt reſipiſcat, ne euaneſcat ob auras

Vulgares,

Vulgareis, ob amara honoris præmia vani.
Punctum eſt, quod viuit; puncto minus, eſt moriendum
Atq́ue reuertendum in cineres, ô puluis, & vmbra.
O vapor ad modicum parens, homo bulla, quid vltra
Inſanire tuam ſuades per inania prolem
Gaudia? Nil peius iactura temporis; Euro
Ocyus horā fugit; neſcis miſer, hoc fore dignum
Laude, quod exequitur virtus, quod honeſta parari
Vita? malum quicumq́ue geret, ſub tartara pœnas
Diluet æternas, flagrantibus vndique flammis:
Et quòd quiſque metet fruges, quas credidit aruis.
Tu fortaſſe ante illum, vel poſt ſtulte cruento
Occumbes letho, ſubiturus corpore pœnas,
Atque anima longe truciores, igne ſubatro:
Hic pueri, ac tua deterges opprobria flammis
Perpetuis, niſi dum viuis, correxeris illum.
Alter auarus homo lucroſa negotia natis
Præuidet ignauis, merces commendat emendas
Vilius, inde illas vendendas carius; vnde
Nec tumidos pelagi fluctus, nec plena periclis
Exhorret vada; currit ad Indos; circuit orbem;
Per fas, atq́ue nefas mercatur, cui paret amens,
Ignorat lucrum; potietur tertius hæres,
Aut luſor taxilli, aut ſcorti leno petulci,
Prodigus, aut ventris ſeruus, rerumq́ue vorator.
Pauci (crede mihi) ſunt, qui ſua pignora verum
Noſſe Deum monitent, hominesq́ue amplectier omneis
Æquo animo, ſimili affectu, non diſpare amore:
Hortentur pueros, cogant, vel fuſte, vel ore
Ad vitæ frugem melioris, ad ætheris arcem.

ARGV-

ARGVMENTVM VITAE Tertium.

ARgutulus puer, deuoruſque Dei optimi maximi tyro BENEDICTVS eminus animaduertens Romanorum ſtudia, atquè gymnaſia vt plurimum ad vitia potius diſcenda, quàm ad virtutes adipiſcendas aperta, quem ad eorum limina incon ſultò pedem appulerat, conſultius illico retraxit. longè enim ſapientius iudicauit puer natus ad ſanctitatem virtutes abſque literis aſſequi, quàm literas ſine virtute, cum vitijs compara-re. diſceſsit igitur ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.

TETRASTICHON.

DVM ſtudijs temerata videt Capitolia fœdis,
Quem poſuit celerem traxit ab Vrbe pedem:
Amphitheatra puer ſubigens ſublimia lucis,
Per loca eremicolis quærit amica DEVM.

VITA.

VT Sylueſcit ager, rigido niſi vomere ſulces:
Squallet ita ingenium deſes, quod inertia mollit.
Strenuus inuigilat ſtudio puer, arte vt auitum
Nobilitet genus, ac ſuperet probitate coæuos.
Qui terrena fugit bona, delitioſa voluptas
Pæna illi eſt maior, quò plus cæleſtia libat.
Cum fœdata puer ſtudia, & ſcelerata nefandis
Miratur vitijs, Romam, quaſi tartara, abhorret.
Celſa valete, inquit, Capitolia, ſacra Quiritum
Phana valete, valete Theatra, ſenatus abite

Gymnaſia, & ſtudia; ignarus te, Roma, relinquo,
Ne crucier gnarus ſtygio detruſus in amne.
Hinc digreſſus Eremicolum ſpelæa, tenellus
Vt ſolet hœdillus, ſcrutatur, vt arcta catellus
Veſtigat leporum luſtra, vt ſublimia falco
Teſqua columbarum, ſyluas explorat opacas.

MORALE SECVNDVM
Argumentum.

QVIBVS lectionibus monachi vacare debeant, ne tanquam teſta areat virtus eorum.

AVdi, ſi quis es, ò monache, audi, deprecor, aure
Non ſurda, ſed aperta, animo prudente, ſagaci
Mente, quod arguta carmen modulabor auena,
Nurſius, vt vidit BENEDICTVS *in vrbe doceri*
Romana vitium potius, quàm clara probatæ
Dogmata virtutis, ſcelerum præconia aperto
Gymnaſio magis audiri, quàm iuſta pudicæ,
Atqúe humilis vitæ pandi monimenta, retraxit
Inde pedem, ne aliquando præceps iret in atram
Flagitij lernam, in vitiorum immane barathrum
Vanis terga dedit ſtudijs, contempſit iniquæ
Pubis amicitiam, Romana abſceſſit ab vrbe
Neſcius, vt Chriſti ſciret paradigmata, Moſi
Non ignoraret pædagogi ſcita fidelis.
Tu verò, ò fili, ò BENEDICTI *patris alumne*
Quàm dilecte, quid exhorres vtriuſque ſuperna
Legis adeſſe ſcholis? ſcrutari oracula vatum,
Ac Patriarcharum monitus memorare paueſcis?

His (heu) poſthabitis, tibi veh, gentile Sophorum
Proſequeris ſtudium, magni paradoxa Platonis,
Ac Ciceronis, Euangelio præponis honeſti,
Ac mitis Chriſti doctrinæ, ex ordine rerum,
Principij, nec non ſupremo tempore finis;
Callida Ariſtotelis legis enthimemata nocte,
Luce ſophiſmatibus confundis vera doloſis
Argumenta hominum, vana tam laude ſuperbus,
Quàm falſo ignari vulgi laudatus honore.
Quid Maro cum Dauide? alter canit enthea plectro
Cantica gemmato, ex Sauli fugat artubus atras
Tartaridum furias; canit alter arundine terſa
Grande poema, colit campos, cuſtodit ouile,
Arma acuit bello, Tytij dat viſcera diris
Vulturibus laceranda, gemitquè volubile ſaxum
Siſyphi, & igniuomis animas ſub tartara prunis
Torqueri deflet: phantaſmata vana, inhoneſta
Somnia, ſcito Poetarum figmenta, potenti
Grata Mæcenati, monacho ſpernenda fideli.
Naſo quid in cella Monachi? quid in ipſius arca
Perſius? in menſa quid agit Venuſina lucerna?
Quid ſub vtraquè manu Iuuenalis? in ore facetus
Quid reſonat monachi Therentius? ô miſer, inquam,
Ter miſer, imprudens, infœlix manna relinquit
Angelicum, ſiliquiſquè ſuum depaſcitur, immo
Dæmonis eſca alitur, diuino polline macer:
Victima tartareis mactanda penatibus, igne
Exurenda acri, flammantibus vndique tædis.
Si CHRISTVM *ſequeris, mundum ſi liqueris, ô tu,*
Qui ſub honorata BENEDICTI *lege quieſcis,*

Amplexa

Amplexa cruce, doctrinam ſectare, canora
Non modò laude, ſed illuſtratis actibus; omni,
Quo licet, ingenio, CHRISTO ſic viribus hære
Corporis, atque Animæ, vt ſub eo, iam ſoſpite vita
Viuis, & huius es id, quod es, & ſub olympo,
Et ſuper illo eris angelico fruiturus honore.
Non opus eſt igitur gentileis voluere chartas,
Cum tot habere queas diuina volumina legis
Nunc vtriuſque ſacræ. Quis eo ſublimius inter
Autores ait; ante hominum genus eſt, & ab æuo
Omnipotens Verbum, quod erat Deus, & ſine verbo
Hoc nihil eſt factum penitus, ſuper, & ſub olympo.
Suxit hic ex CHRISTI ore fauum, lac ſuxit ab eius
Vulneribus roſeum, vidit quæcumque futura
Vſque Dei Vnigenæ aduentum ſunt, pauper, & exul.
Gratior eſt fortaſſe profani lectio vatis
Literulis Pauli, ſtillantibus vndique manna,
Balſama, nectar, & ambroſiam, gignentibus alba
Lilia, purpureaſque roſas, promentibus aurum,
Argentum, lapides precioſos; Cæce, quid atras
Inſequeris tenebras, dimiſſo lumine vero?
Falleris ô demens, reſipiſce; an funeris hora
Te releuabit Ariſtarchi doctrina? an Homeri
Carmen? an orthodoxorum exhortatio? IESV
Verba, quibus puro ſtuduiſti pectore viuens?
His tandem ſtudijs incumbe, ô incola terræ,
Alta, quibus rutili ſcandas faſtigia cæli:
Nam ſcandiſſe huc, omnibus eſt ſtuduiſſe ſophorum
Artibus, & linguas hominum didiciſſe diſertas,
Atque Sibyllinas punctim recitaſſe Camænas.

ARGVMENTVM VITAE Quartum.

CApiſterium caſu effractum puer Deo plenus oratione inſtaurat,& ploranti Lucillæ, cuius plurimum afficiebatur angore,lœtus reddit; Nec mora, illam, vt liberius Deo obſequeretur, clam fugiens conſultò dimittit.

TETRASTICHON.

VAS gemit effractum nutrix, quod mutuo vſum
Cribrandi fruges cœpit egena rudeis.
Hanc puer afflictam miſerans, in fruſta capeſſit
Vas, ſolidat precibus, ter peragendo crucem.

VITA

FIctile vbi ponit mulier paupercula vannum
Roboreo ſuper aſſe, cadit tàm Dæmonis aſtu,
Quàm modico altricis ſtudio carpentis ariſtas,
Et frumenta leui cribrantis vaſe per auras;
Mœſta gemit nutrix, ſuſpiria fundit, amaris
Queſtubus obnubit cœlum, ferit æthera voce,
Quid reddam Dominæ? iacet en in fruſtula: cribrum
Nil iuuat effractum, lachrymis rigat ora profuſis.
Fletibus elanguet fluidis puer, atque doloris
Se mactat cruce, plorantem miſeratus alumnam,
Ingreditur Petri templum, pro altrice precatur,
Integer apparet vannus cito, quem puer alma

Con-

Contulit altrici; altrix læta remiſit amicæ.
Pendet hic, ó mirum, Petri ſuper æde ſacrata,
Vt mundo pateat, quàm ſit BENEDICTVS *olympo*
Gratus, & à quali ſigno miracula cœpit.
Magna Dei in puerum præſagia; vannus in vſu
Purgandæ frugis ſolidatur, vt affluat omni
Humanæ vitæ fructu celeberrima Patris
Relligio, nec ei deſit, quo inopum ora cibentur.

MORALE TERTIVM ARGVMENTVM.

OMNIS mulierum conuerſatio religioſis viris penitus interdicitur.

O Puer, ô CHRISTI miles Dexterrime, bella
Fœmineum admittunt genus? en ab origine rerum
Imbellis trepidat mulier, pauet arma, cruorem
Horret, acu, atquè colo valet; ô quàm tela venuſtat,
Hanc decorat prolem niueis lactare papillis,
Ac latitare domi, nuſquam ſe vendere cuiquam,
Et vultus ſpecie, & colli gemmante monili,
(ſine vel auricomo, Tyrio vel murice cultam;
Quid nutrice opus eſt? mulier fortaſsis eremo
Seruiet? ô Heros liquiſti clara parentum
Stemmata, ſupponis nutrici matris amorem?
Clam dimitte illam, nec eges nutrice ſub antro.
O quicumq; fugis Romana palatia, pubis
Gaudia romuleæ, & maiorum inſignia patrum,
Siſte gradum, Gabriel gemino deſcendit ab axe,

Pro nutrice tibi Romanum tradet alumnum:
Nil diuina negat bonitas, ſi pectore puro,
Atque humili poſcas corde. en Romanus ab alto
Admonitus, puero occurrit per hiulca vaganti
Arua; quid inde velit, ſcrutatur, & audit.

ARGVMENTVM VITAE Quintum.

EVAGANTI per ſyluas puero Romanus occurrit monachus; & cum eius accepiſſet votum, monaſtico illum habitu amiciuit, ac ſub vaſta rupe inſtruendum quàm religiosè collocauit.

TETRASTICHON.

Diuino excitus monitu Romanus, eunti
Occurrit puero, quò petat, inde rogat:
Dum ſua Romano BENEDICTVS *vota retexit,*
Pellibus obtegitur, clauditur vltro ſpecu.

VITA.

Vt pater errantem per agros offendit ephebum,
Moribus vrbanum, ſpecioſum corpore, vultu
Iucundum, miratur, & eius vota capeſcens,
Et quibus efflagrat facibus cor ipſius, hæret,
Ac vix in plantas ſiſtit, ſuper aëra vultum
Figit, & omnigenûm regi offert munia laudum:
Inde toga exutum, bullaque ex pectore priuum
Formoſum blandis puerum complectitur vlnis,

Pellicea

Pellicea veſtit tunica, decoratque cucullo.
Hac Thorace armat corpus puer, hac nouus arctat
Tyro caput galea, anguſtam ſubiturus arenam
Diro cum Sathana, cum luxu carnis amaro,
Cum blandis mundi illecebris, cum propriæ acerbo
Hoſte voluntatis: demum decorandus oliua,
Et palma, lauro donandus in Æthere victor.
His ſuccinctus eremicolum armis, rupe ſub arcta
Frutetis præcincta hirtis, puer intrat eremum.
O pudor, ô rubor, ô vanæ ſublime iuuentæ
Dedecus, illuſtri genitus patre, matris ab aluo
Delitijs puer enutritus, rupe ſub atra,
Sternit humi corpus, comedit cum pane virentum
Radices olerum, potat de fonte liquorem,
Lauta dapum menſa, ampla falerni pocula dulcis:
Non queritur de piſce puer, nec amigdala poſcit,
Cuius delitiæ ſunt panis, oluſcula, fontes.

MORALE QVARTVM ARGVMENTVM.

TAM loci amœnitas, quàm delicioſa voluptas in cultu veſtium, atq; in cubilis apparatu, cunctis, qui cœlum quærunt, ſunt impedimento.

QVàm fœlix rupes, quàm diues, vbi aula tonantis
Regis, & æterni patris ſublime ſacellum:
Non opus hîc terrena ſupellex, commoda carnis,
Delitiæ mundi, ſimplex vbi ſpiritus eſca

Veſcitur

Veſcitur angelica; nihil hîc caro, quod velit, extat.
Hîc forteſſe torum diſtendit culcitra mollem,
Linteolis ſtratum nitidis, lodice copertum,
Puluillo fultum, nuceis complexa columnis?
Forſitan hîc fulcra? aut aulæa immixta tapetis?
Nuda obdormit humo BENEDICTVS, *& abſq; feneſtris*
Occulitur vitreis, Boreas flat vbiq; per antrum;
Ex ortu ſolis lucem capit ardua rupes,
Reddit ei occaſus noctem; riget, æſtuat, alget.
Hîc quid ais homuncio, cui tot ſtramenta cubile
Exornant tenerum, terræ cui palmus in hora
Mortis præſtabit tumulum, qui vermibus eſca,
Ac tineis fies, totus putredine fœdus?
Præ foribus clamat nudus; mea ſunt, quibus arcam
Imples, indumenta; putent, tineiſq; vorantur:
Non ego, nec tu miſer exornabere tritis.
Tu, quibus enodaris, habeto vota per omne
Vitæ curriculum, ſalua arctus, & vndiq; ſtrictus
Eſt callis, quem aditurus es mortis, omitte,
Ceu coluber ſpolium, aſcenſurus in auia montis
Culmina pauperibus dimitte, quod ipſe nequibis
Ferre onus, eſto, velut vouiſti, pauper, alumni
Vltrò tui ſectare inopis veſtigia vitæ.

ARGVMENTVM VITAE Sextum.

A Romani cella ad BENEDICTI rupem difficilis erat deſcenſus, multoque difficilior aſcenſus, iter deuium, ſemita rubetis intercepta, qua de re prudens pater in rupis apice tintinnabulum appendit, vt ad eius ſonitum puer egrederetur,

tur, & ſi quid ei attuliſſet magiſter, fune dimiſſum diſcipulus commodè ſuſciperet. cuius charitatis officio inuidens pietatis inimicus ſathan ex alto extorſit lapillum, tintinnabulumque continuò fregit.

TETRASTICHON.

DVm ferus inuidiæ facibus ſuccenditur hoſtis,
Rumpitur, & fracto profugit ære, Sathan;
At pia Romanus BENEDICTO *furta frequentat,*
Et ſolita obſequium ſtrenuitate gerit.

VITA.

SAEpe aliquid natura negat, quod alumna miniſtrat
Ars; adhibet pontem fluuio, ſecat æquora lembo,
Appoſitis ſcandit gradibus ſuper auia turris
Atria, deſcendit ſcalis ſub opaca profundi
Carceris antra, auget fruges, dum ſeminat agros.
A cella patris ad pueri ſpelæa propinquus
Nullus erat callis, nec iter, via deuia, acutis
Obſita vepretis, moles vtrique onerosa,
Aſpera, difficilis, magno ſuperanda labore,
Maiorique animi ſtudio toleranda ſagacis.
Tunc pater; arte opus eſt: vbi non eſt vlla facultas,
Ingenium valet: aſper ad alta aſcenſus ephebo
Eſt grauis, atque mihi grauior deſcenſus ad ima.
AEratum mox tintinnablum pendet in alto
Vertice rupis, vt, ex eius reſonante per auras
Tinnitu, puer egreſſus loqueretur ab imo

Secum, dimiſſam reſti cum furfure lympham
Furtiuo caperet, primum depaſtus odoro
Cœlicolûm manna, ac diuino pane cibatus.
Tunc ſathan inuidiæ morſu diſcerpitur atro:
Et rigidum ex alta iaculatus rupe lapillum,
AEs frangit; fracto non deſinit aere benignus
Paſtor opus ſolitum pietate explere priori.

MORALE QVINTVM ARGVMENTVM.

PIA opera non tantum laudanda, verum imitanda comprobantur.

O, Qui dura probas puer ieiunia ſancti,
Ac rigidos vitæ mores, manuumque labores,
Atque preces lachrymis fuſas, ſuſpiria crebro
Edita ſingultu, ac vaſtum per inane profuſa,
Qua decet, extollis lingua, veneraris honore
Inter eremicolas, inter collegia fratrum,
Dum tibi non deſint piſces, nec odora ciborum
Fercula, candidior niue panis, amygdala, vini
Copia, pomorum fructus, & aromata mulſum,
Et ſi quas cupis illecebras, & amica guloſis
Irritamenta, exaltas ſuper æthera, ſanctum,
Cuius te laude accuſas, imitare modeſtis
Moribus, ac vita celebri, cui pares amictu
Religione, cibo, ieiunia laudibus effers,
Depaſtus croceis dapibus; vigilantia feruet
Te propè ſopitum, langues torpore, labores

Dum

Dum laudas manuum; ſtudioſos munere donas,
Ocia dum captas, nugis dum tempus inane
Tranſigis, eructas ſcurrilia, promis iniqua
Verba, vel auſcultas mendacia vana, nefanda,
Quæ vita hæc? vitio ſordere, & clara probare
Munera virtutis; nunquid dimanat eodem
Ex fonte irriguo pariter mel dulce, & amarum
Fel? fortaſſe ex ore vno laus prodit honeſta,
Et deforme probrum? ſua cuiq; eſt propria ſedes:
Ore quod effaris placido, ſectare ſub æqua
Lance, pari geſtu, ſimili virtutis amore:
Nec tua confundant lepidam malefacta loquelam,
Et tibi, quo rubeas inducant verba pudorem.
Eſto communis; propriam præ viribus abs te
Pelle voluntatem; potius fraterna procures,
Quàm tua ſolerti perquiras commoda nixu.
Non gula te moueat, ventris ſitibunda vorago,
Sed quibus inualeat corpus, moderamina vitæ
Suppeditent eſcas; et eas ede, quas ſacra Patris
Regula commendat, fratrumqúe exempla miniſtrant.

ARGVMENTVM VITAE Septimum.

PResbytero cœlitus præcipitur, vt, quod ſibi Paſcha pararat opiparum, deferat ſecum in ſyluam, illudqúe cum eremicola inter fruteta latitante comedat.

TETRASTICHON.

SEnta inter loca paſtores mirantur ephebum
Hirſuta obtectum pelle, vagante grege:

Paſchate, quas coxit lautas ſibi presbyter eſcas,
Fert ad eremicolæ ſepta, iubente Deo.

VITA.

C*Vm Deus accenſam nollet celare lucernam*
Denſa inter ſenta, en iuuenem patefecit opertum
His, vaga qui quærunt animalia cæca per antra,
Et ſyluis venantur apros, & in amne ſyluros:
Paſchate dum celebri lautam ſibi presbyter eſcam
Præparat, ac pauper Benedictvs *rupe ſub arcta*
Et ſiti, & eſurie langueſcit, opima ſacerdos
Fercula eremicolæ puero deferre iubetur.
Presbyter è cœlo monitus ſquallentis eremi,
Ceu canis explorat venaticus antra, paratis
Sarcinulis, dumeta inter ſpinoſa latentem
Offendit iuuenem, ſub ouino vellere tectum.
Paſchate cui dicto fœlici, inuitat eundem
Feſtiuum celebrare diem ſimul, & ſimul eſcas,
Quas tulerat paucas velut alto ex æthere miſſas,
Deguſtare velit ſecum, rogat ore benigno.
Cui iuuenis; verè Paſcha eſt, nam cernere lœtum
Te mereor, longo dimotus tempore mundo,
Terricoliſque viris incognitus, hoc fruor antro,
Et quacumque gerunt feſta ignoro, alme ſacerdos.
Presbyter è fronte ingeminat; mi candide fili;
Nil dubites, hodiè Paſcha eſt ſollenne per orbem,

Cælitus

Cœlitus huc veni iuſſus, ieiunia oportet
Soluere nos feſti ratione inſignis aperta.
Nam Deus, atque homo Chriſtus Ieſus, morte perempta,
Deuictoque hoſte abſoluit nos morte, & auerno.
Talia dum ſentit iuuenis, reueretur honeſtum
Presbyterum; complexi vnà ſibi grata viciſſim
Oſcula dant CHRISTI *aſſeclæ, fit ſquallida rupes*
Regia cæleſtis, fit eremo opulenta ſupellex,
Et conuiuantum menſa, ô quàm lauta, vbi pane
Diuini verbi ſatius veſcuntur edentis
Polline triticeo, aut vini dulcore falerni.

MORALE SEXTVM ARGVMENTVM.

EXPEDIT magis mentem diuino verbo paſcere, quàm ventrem humano cibo enutrire.

QVisquis es, ô CHRISTI *Miles, deſcripte coruſcis*
Cælicolûm turmis, audi, precor, incola cæli;
Si quid habere optas, ab eo ſperare memento,
Qui bona vultu hilari largitur dona petenti,
Spe, fide, amore, nec improperat largita, ſed auget
In decuplum; eſt Pater, eſt Dominus: bonitate paterna
Dat locuplete manu, domini ditione potentis
Abſque pauore impertit, ſi quid mente volutas.
Cur ſpe decidis? & fidei cur munere pectus
Denudas? & amore tuum cor exuis almo?
Omnia poſt animalia factus, ſingula præſtas

BIBLIOTECA NA... ROMA VITTORIO EMAN...

Ingenio,

Ingenio, ſpecie, ratione, vigore, loquela:
Talibus hæc frenas laqueis, dominaris ad vnum,
Tanto equidem melius, quanto tu ſubderis alti
AEtheris artifici potius, rerumqúe parenti.
Nam licet ex limo te finxerit æquoris autor,
Ac moderator humi, tamen omnia ſubdidit vltro,
Et gratis tibi, donec tu ſubdaris eidem
Spe, fide, amore, ſub illo nixus, vt ampla ſub vlmo
Vitis, & inſtar auis nitidæ ſecus alta columbæ
Flumina, parte vna fructus producis odoros,
Ex alia, diro tutaris ab hoſte, & ab eius
Inſidijs, vt ab vngue ales falconis adunco.
Spera igitur, ſumma fiſus pietate benigni
Cælicolûm regis, quem ſi dilexeris omni,
Quo potes affectu, nihil eſt ſuper, atqúe ſub aſtris,
Quod tibi non larga diffundat ab æthere dextra.
Ingemit ô fœlix Abraham, ſuſpirat ab alto
Vnigenam fractus ſenio, patriarcha fidelis,
Sarræ diffiſus partu, imo ex pectore clamat.
Verna erit hæres, verna erit hæres, cui mea linquam
Tot bona parta annis, tanto cumulata labore?
Mancipio continget opum ſors, fiat, vt orbis
Rectori libet, vt fieri ſinit alta poteſtas
Principis æterni, ſuperum moderantis olympum.
Tinnula tunc Abrahæ reboat per inane ſonorum
Vox; Abraham, mi Abraham, cælum ſpeculare ſerenum;
Si potes, enumera, quot cernis ſydera; nam tot
Scito tuum fore ſemen, & id tibi ſpondeo certum,
Non modò noſtra Deus vota implet, vt æthera pulſant,
Ac meritò clamant, verum ſuo amore ſupremo,

Atqúe ſua bonitate pari, ſacra munera confert.
Floridus ò quoties Ieſſe puer, vltimus æuo
Viribus, atqúe animo, primus per amœna puſillum
Arua gregem ducens, citharam pulſabat eburno
Pectine, totus in excelſo ſuſpenſus olympo
Ante Dei numen pſalmos, ludentibus hædis,
Cantabat, Domino grates referebat acuta
Voce, quòd ex vrſi raptaret faucibus agnos,
Atqúe ex ore leonis ouem diſcerperet, eius
Auxilio fiſus, ſperans maiora per horas
Geſta patrare, nec à ſpe Dauid decidit vnquam.
Maieſtate Dei ſumma, ac virtute potenti
Elatum Goliath proprio caput enſe gygantis
Truncauit, rigido percuſſa fronte lapillo;
Expulit ex Saulo Sathanam dulcedine plectri,
Cum ſceptro Solymam meruit gemmante corona.
Vndique ſcintillat fornax, fumantq; per æthram
Sulphur, pix, oleum, ſtipulæ, pinguiſqúe reſina,
Fornacis medium choreis cantando coronant
Tres Iudæ pueri, calcant velut alba per agros
Lilia mixta roſis, violas, thyma iuncta liguſtris.
Magna fides, maior ſpes, vis quoque maxima amoris.
Truditur, ò mirum, clauſtris, vbi turma leonum
Clauditur immanis, Daniel puer accola cæli,
Et velut agnorum, demulcet colla leonum,
Hiſqúe manu refricat fronteis, nec aperta paueſcit
Ora, ſed vt fræno, diuinis laudibus arctat.
Ipſe autem eſuriens tota ſpe pendet ab aſtris,
Vnde ſibi ſuſpirat opem, nec fallitur. ala
Angelus aurata, gemino dilapſus ab axe

Crinibus

Crinibus aſſumpſit ſtrictis Abacuch meſſoribus eſcam
Geſtantem, locat hunc velociter ante ferarum
Guttura, datq́ue cibum Danieli: ó mira fidelis
Spes pueri, ó amor ingens, dum truculenta leonum
Ora cruentantur brutorum carnibus, ipſe
A paranympho alitur cæli Gabriele, tonantis
Pincerna regis, lauta dape, olente falerno;
Num tua ſpes BENEDICTE fidem confudit? amorem
Exinxit? CHRISTO confiſus, & eius amore
Succenſus proauita odiſti rura, parentum
Spreuiſti bona, complexa Cruce, nudus eremum
Ingreſſus, nudum CHRISTVM ſectaris olympi,
Ac mundi regem, cuius veſtigia paſſu
Diſpare non ſequeris, ſed honeſto, mortuus omni
Terrigenûm pompæ, tua conuerſatio CHRISTVS,
Ac tua ſpes tota eſt in eo ſita, viuis in illo,
Atq́ue ille in te viuit, pax tua, lux tua IESVS.
Nil igitur mirum croceas ſi presbyter eſcas
Ferre iubetur ei feſtiua Paſchatis hora.

ARGVMENTVM VITAE. Octauum.

DVM, neſcio quid diuini, adoleſcens nurſius, & ſtudioſè, & deuotè lectitaret, teter fornicationis ſpiritus ſub Merulæ alitis imagine, importuno volatu lumina eius à lectione auertit, atque adeò ipſius cor venerea exuſſit facula, vt non ſolum à meditatione lectionis auocaret, ſed illum, relicta eremo, Romam regredi compelleret. verum diuino illuſtratus lumine in ſe rediјt, ac depoſita pelle, nudum ſe inter vrticas, ſenteiſq; coniecit, & ſtatim carnis pruriginem vrticarum incendijs, ve priumq́ue aculeis penitus extinxit.

TE-

TETRASTICHON.

FOEtida profligat merulæ ſimulachra procacis,
Non enſe, aut arcu, ſed prece, vepre, fame:
Callidus auceps inter ſenteis omne cruentat
Corpus, ab obſeſſa mente repellit auem.

VITA.

MEnte quid euoluis fœda? quid inane, petulcum,
Infandum; ſalax, tetrum meditaris honeſte
Syluicolûm tyro? forſan pertæſus eremi
Celſa petes Romæ capitolia? non ne parenteis,
Nutricem, patriam liquiſti? commoda carnis,
Ac mundi illecebras ſpreuiſti? vis ne redire,
Deſpectis ſtiua, dulciquè iugo optimi IESVS,
Ad Sodomæ flammas, ad obuſta tecta Gomorræ?
Vt canis ad vomitum, vt ſus ad loca fœtida cœno?
Cur miſer inſanis? reſipiſce, morare ſub antro
Tam tibi dilecto, Merulam propelle volantem
Ante oculos. Quid ei applaudis? petulantia perflat
Tentamenta ales; pelle illam, conuoca IESVM,
Qui pro hominum vita cruce penſus, ab vrbe, & ab or-
Huc te adduxit ſeruitum ſibi mente quieta; (be
Siſte animum. argutus volucris ſub imagine ſerpens
Te trahit hinc, primum qui patrem coniugis eſca
Traxit in interitum; clauum detrudere clauo
Te decet, igne Dei Veneris protrude facellas,

Et contunde caput colubri. nam lubricus anguis,
Ni capite obtruncetur, totus in intima ſerpit.
Viſcera, dum paruus furit hoſtis, ei opprime guttur.
Et ne olera effocent, radicitus extrahe ſpinas.
Tunc puer exutum in vepreis coniecit acutas
Corpus, & inuoluit dira inter ſenta cruentum.
Sic ſtimulos ſtimulis, vt amore extinxit amorem.
Vnde adeò oppreſſit luxus fomenta petulci,
Vt, quod amara libido parit, velut acre venenum,
Phantaſma effugiat, ne aliquod meditetur inane.

MORALE SEPTIMVM

Argumentum.

SI cuncta corporis commoda à deo omnium patre ſperanda ſunt, multo magis bona animæ ab omnium creatore expectenda ſunt vitæ meritis, & humili oratione.

NEmo ſibi applaudat, ſibi nec confidat; in atras
Mox ruitat tenebras, ſcelerumquè inuoluitur vndis.
AEger homo, ærumnis obnoxius, atquè ſiniſtris
Caſibus ex aluo matris, niſi dextera patris
Protegat æterni, auxiliumquè refundat ab alto.
In momenta cadit, velox per lubrica currit,
Per glaciem properat, ſpinas pede calcat acutas.
Impingunt omnes, nemo eſt, qui voce, vel actu
Siſtat. Ad patris imprudentia, matris amara
Ingluuies Euæ, tali nos orta reatu
Pignora deuinxere, vt acerbæ obnoxia morti
Simus, & abſque Dei nequeamus munere curas

Euitare

Euitare malas, peiora maleacta cauere:
Se ſe impellit homo in vitium, ſuadente maligno
Dæmone, mundoqúe alliciente, per obuia vitæ
Irritamenta obſcœnæ deducitur orbus
Ad mortu fauces, in auerni incendia tetri.
O ploranda hominum ſors, ó miſeranda facultas,
Velle bonum facere, & non illud rectè operari,
Heroës inter Romanos clamat ab imo
Pectore doctor Idumeæ, tuba flaminis almi;
Vas CHRISTI Paulus, Quis me de corpore mortis
Eruet huius? ego duplici ſub lege fatigor;
Spiritus oppugnat carni; caro fortibus illum
Viribus expugnat proauorum fomite fota;
Non bona, quæ vellem, perago, ſed praua, & iniqua,
Quæ mihi ſunt odio, cogor, ſine numine IESV,
Perficere; infælix ego homo, infælicius, inquam,
Abſqúe dei auxlio, ſine IESV ſanguine, mortis
Mancipium, quia ſum peccati ſeruus ab aluo
Matris, & in peccato Adæ conceptus, & ortus.
Abſqúe cibo, & potu, AEthneis maiore caminis
AEſtuat igne puer, vino tu potus odoro,
Atqúe epulis paſtus croceis, algebis hiberna
Frigidior niue? non oleo, ſed fluminis vnda
Extingues flammam; ieiunus ventre, falerno
Sobrius infrenæ ſtimulis dominabere carnis.
Qui non tentatur, quid ſcit? tentatio reddit
Expertum, quemcumque probat patientia, palmam
Victori tribuit, lauroqúe virente coronat;
Vt fornax probat aurum, ſic tentatio iuſtum;
Non ne Abraham ſimplex pueri tentatio Iſacci

Exhibuit iuſtum? Tobiam cæca probatum
Lumina commendant; plagoſum Iob ſuper aſtra
Extulit illuſtrem ſic vis tolerantiæ, vt ingens
Exemplar probitatis, in ægro corpore teſta
Exterſo ſanie, fœdum promente putorem.
Dum ſibi confidit Petrus, cribratur ab hoſte
Inſtar frumenti; Dominum negat, immo magiſtrum
Non ſe noſſe ter obiurat; reſpectus ab almo
Præceptore ſtatim lachrymis blaſphemus amaris
Diluit infandum facinus, cadit vltro futurus
Eccleſiæ princeps, diuinæ clauiger aulæ,
Dæmonis edomitor, CHRISTI ſucceſſor, & hæres,
Vt lapſum releuet, peccanti indulgeat, ægris,
Qua valet arte, pio miſeris medeatur amore.
Cum Deus ex æuo decerneret eſſe futurum
Militiæ caput, & patrem monachalis in orbe
Auſonio puerum BENEDICTVM, traxit ab vrbe
Romulea; tractum rigida ſub rupe per annos
Treis intruſit, vbi pugnas perpeſſus acerbas,
Ex ipſis didicit miſeris ſuccurrere, mœſtos
Solari, à Sathanæ inſidijs defendere fratres.

ARGVMENTVM VITAE Nonum.

QVidam monachi, defuncto eorum Abbate, BENEDICTVM ſingulari voto iuncti adeunt, ipſumque inuitum in Abbatem adſciſcunt; quem ob ſuam ipſorum improbitatem non ſufferentes, veneno illum enecare quàm immaniſſimè excogitarunt. ſed pater innocens crucis ſigno eorum inſidias detexit, ac ab eorum regimine ſe illico dimouit.

TE-

TETRASTICHON.

PRæſide defuncto, BENEDICTVM pro duce poſcunt
Syluicolæ fratres, ſic fide, vt ore mali:
Cuius dum miſeri ſpernunt documenta, veneno
Appoſito calici, perdere atroce ſtudent.

VITA.

VT nihil abſque Dei nutu fit, ita omnia parent
Ipſius imperio; Monachi ſine patre vagantes
In patrem adſciſcunt BENEDICTVM; denegat ille.
Nam mea, ait, vita, ó quàm veſtris moribus impar.
Hi meliore vti fruge, ac ſub honeſta ſalutis
Scita ſuam ſpondent vitam componere, moreis
Excolere. vt quercus tenui non flectitur aura,
Nec Zephyri flatu pinus crinita labaſcit,
Sic longo durata vſu aſſuetudo vetuſta
Non valet in melius facili conuertier arte.
Num natura vſus niuea quis pelle nouabit
AEthiopem? vario nudat quis vellere Pardum?
Cum nequeant fratres veterem dediſcere vitam,
Ardua non diſcunt placidi rudimenta magiſtri;
Spernentes quodcumque docet guſtare ſuperna
Gaudia, tartareæ amplectuntur tædia pœnæ.
Perdere dum patrem cupiunt aconita falerno
Immiſcent, mortis cyathum, proh dedecus, vltro

Illico

Suppeditant, vita hic ſigno confregit; & ipſis
Illico dimiſſis. tutam repetiuit eremum,

MORALE OCTAVVM ARGVMENTVM.

NON eſt homo, qui non peccet. Monachus non corona, & habitu probatur, ſed doctrina, & vitæ ſanctitate commendatur.

SI quis es è fronte, emuncta qui nare, cachinno
Solueris in monachi probrum, ne ſperne cucullum
Nec legis documenta ſacræ, ſed iniqua patrantis
Facta hominis; ſuffer, tolera compaſſus, abhorre,
Ne labaris in illa, aut in peiora; ſuperbo,
Et prauo Deus aduerſatur; es ó homo vanus,
Ac fragilis, nec erit crimen tam grande, quod alter
Non geſtaret homo, ni hominis pater, atqúe creator
Omnigenûm ſeruaſſet eum, ſine quo nihil actum
Eſt, nec agi poterit ſuper, aut ſub cardine cæli,
Laude ſua dignum, ſuo honore inſigne ſub aſtris.
Audi igitur, quicumqúe cupis monachale vereri
Vexillum, fratrum vitam, non veſte, corona,
Aut zona prænoſſe vales, ſed amore in olympi
Artificem, pietate in ſanctos eius, & amplo
Erga hominem affectu, morum grauitate, modeſta
Conſuetudine, virtutum dulcedine, prono
Vertice, compoſito greſſu, tacitiſqúe labellis,
Et ſi quæ ſunt, perficiant clariſſima patrum
Scita, humiliſqúe gerant CHRISTI monimenta magiſtri,
Cuius doctrina, à facto capit omne ſalutis

Princi-

Principium, nec non meritorum præmia ſumit.
Verus hic eſt vita monachus, non veſte, corona,
Et ligni ſolea tantum qui totus ab illo
Dependet, qui ornat ſuperum ſtellantibus orbem
Ignibus, & varijs implet freta piſcibus alta,
Pingit odoriferis diſtinctos floribus agros,
Omnia qui ex nihilo fecit, Deus vnus, & idem
Trinus, vt ingenitus genitor, genituſqúe parentis,
Filius, & manans ab vtroqúe amor, ignis, & almus
Spiritus. Hos treis vnum toto corde fatemur
Eſſe deum, treis eſſe Deos, pari honore negamus.
Verus hic eſt monachus, ſathanæ qui blanda maligni
Nugamenta cauet, technas qui detegit atras,
Qui ſub olente fauo virus deuitat amarum,
Et ſub odoratis exhorret frondibus anguem.
Verus hic eſt vita monachus, qui ſingula ſpernit,
Quæ mundanus honor protendit, commoda, faſtus,
Delitias, & opum ſolatia, mortuus illi,
Vt ſibi, cuius conuerſatio in ætheris arce.
Verus hic eſt monachus, carnis qui obſcæna petulcæ
Lenocinia contemnit, ieiunia lautis
Præponit dapibus, viuit ſine murmure, pauper,
Obſequioſus, & abſqúe tumultu; Zizania carpit,
Non ſerit in fratrum cœtu; ſua pacis amator
Vota libens votis aliorum ſubdit honeſtis:
Diuinis nihil officijs præponit; vt omnia IESV
Aggreditur Duce, ſic illo exigit omnia fine.

SECVNDI VOLVMINIS
VITAE D. BENEDICTI ABBATIS
COMPENDIVM.

INclyta dum patris BENEDICTI *vita per oras*
Enitet Auſonias, patriæ pater, atqúe ſenatus
Gloria Tertullus tenerum dicat vltro polorum,
Ac terræ domino Placidum, Maurumqúe Senator
Equitius pietate pari offert ſub patris ala,
Ambos, quæ CHRISTVS *docuit, rudimenta docendos.*
Percutitur virga monachus, ſathan efflat in auras;
Siſtitur ille choro, ruit hic ſub tartara præceps.
Haurit ab arenti laticem telluris hiatu
Paſtor; & à ſtagno ferrum, quod Gothus in amnem
Deciſit, retrahit; quem longè cernit ab vndis
Obuolui tumidis puerum, iubet illico Mauri
Eripier ſtudio; percepta atroce profani
Strage ſacerdotis, plorat, nec adire ſacratum
Negligit, accomitante Dei Gabriele, Caſinum.

VITÆ BEATISSIMI BENEDICTI MONACHORVM PATRIARCHÆ SANCTISSIMI,

A R. P. D. Angelo Sangrino Caſinenſi Abbate, tum ſoluta oratione, tum carminibus, & ornatè, & copioſè deſcripta,

VOLVMEN SECVNDVM.

ARGVMENTVM PRIMVM in Primum vitæ articulum.

TERTVLLVS Quiritum procerum maximus, & Equitius, inter Romanos Patritios clariſſimus, ambo Patres Patriæ inſignes, qua afficiebantur pietate erga Deum ſumma, BENEDICTVM, ob eius ſanctitatis nomen celeberrimum, per quàm deuotè viſunt. Tunc Tertullus primogenitum ſuum Placidum ſeptennem, Equitius verò Maurum filium ſuum, anno natum duodecimo, ſub eius ala inſtituendos, Deo optimo maximo, & piè, & religioſè obtulerunt.

TETRASTICHON.

Tertullus Placidum, Benedicto interprete, Maurum
Dedicat Equitius, lilia vt alba, Deo:
Sunt duo Romani, mihi crede, micantia regni
Lumina: erunt gemini ſidera bina poli.

VITA.

VNICA Romulidum pietas: Tertullus honeſtum
Cœlitibus ſacrat Placidum; BENEDICTVS *ab vngue*
Infantem tenero clauſtris includit, olympi
Diſcat vbi callem, mundi dediſcat amorem.
Non minor Equitij virtus. ô bina quiritum
Lumina: vos Patriæ Patres: vos gloria Romæ.
Dedicat Equitius Maurum ſuper aſtra, cucullo
Inſtruit indutum pullo BENEDICTVS *in antro.*
Summa patrum bonitas, puerorum mira voluntas,
Patres ſacrificant pueros, velut alba liguſtra
Pignora ſe dedunt, vt odora holocauſta per aras:
Iuſtus vtriſque Deus rutili dabit atheris arcem.

MORALE PRIMVM.

ARGVMENTVM.

FOELIX pubertas eſt, quæ ab vnguiculis Deo conſecratur: infœlix pubertas, quæ vanis dedicatur ſtudijs, mundique delitijs oblectatur.

TV quid ad hæc dices, quicumque opulenta procuras
Regna tuis pueris, ô rex, ô Ætheris expers
Induperator, & effuſo cupis arua cruore
Chriſtigenûm, ac rapido vaſtatis vrbibus igne

Prari-

Præripere alterius regnum moliris, & armis,
Inſidijs, aſtu, technis tua regna tueri
Victus auaritia ſatagis, moriturus in hora?
Erubeat princeps, ſobolem qui mollibus altam
Delitijs equitare docet per amœna, per agros,
Venari canibus, volucres captare per æthram
Accipitri roſtro, falconiſque vngue rapacis.
Nobilitate frui proauorum, ſtemmata cultu
Militiæ, non relligione extollere ſacra.
Gemma Senatorum Tertullus ad horrida ſyluæ
Antra ſuum ducens puerum, quo feruet amore
Dedicat æthereo regi cor, viſcera, dextrum
Lumen; vt à teneris inſeruiat vnguibus infans
Sub patris ferula, Nurſini rupis in antro.
Septennis Placidus, Maurus duodennis, vt alba
Lilia Romano ex horto diuulſa, ſub alis
Atque vmbra Nurſini olitoris, & arte magiſtri,
Sublaci plantantur agro, paritura ſub aſtris,
Ac ſuper aſtra breui vitæ cæleſtis odorem.
Ecce ſenatorum pueri pro murice, bulla,
Ac byſſo capiunt rigidum cum pelle cucullum,
Cilicio induti laticem gerit vnus ab amne,
Alter ad imperium patris, quæcumque per horas
Obſequia occurunt monachis, pede præpete curat.
Quid queritur verax monachus tonſura, & amictu,
Moribus, ac vita fallax, patre natus egeno,
Vili lactatus genitrice in paupere tecto?
Panis, ait, niger eſt, vinum coaceſcit, oliuum
Deſipit, eſca inſulſa, ſapor breuis, hora precandi
Longa, labor grauis, intolerabile tempus agendi,

Quæ pietas fieri monet, ac ſacer imperat ordo.
O miſer; en Placidus cum Mauro præuenit horas
Pſallendi, vigilat, ieiuno ventre laborat,
Interdum dormit lapidum ſuper aggere ſtratus.
Sic pietatis opus geſtat profuſus amore,
Vt nihil ante illud citius præponat agendum.
Tu demum reſipiſce, miſer, pia lumina ſurſum
Tolle ad eum, panſis mundum qui amplectitur vlnis,
Si quis amara gemit probra, & ipſum quærit amicum.
Quis verè monachus ſit, habes ex actibus, atque
Ex eius verbis. ſub ouis cute conditur ater
Verſutus porrò lupus, impar actus, in altum
Erecta ceruice, lupus latrat; ore deorſum
Balat ouis, collo dimiſſo, voce tenella,
Incedit ceruice humili, non fronte ſuperba.
Qui verè eſt monachus, condit ſub veſte lacertos;
Nec dimiſſa mouet, nec in auras brachia tollit,
Sacris inuigilat ſtudijs, ſcurrilia vitat.
Eloquia, infrænat linguam, cohibetq́; cachinnos,
Diligit ingenuos, inopum miſeretur, & ægris,
Agreſteis ſuffert, facileis hortatur ad omne
Virtutis ſtudium, patres veneratur honeſtos,
Inſeruire mauult multis, quàm vni dominari,
Exemplar morum factus, virtutis imago,
Doctrinæ ſpeculum, cæleſtis regula vitæ.

ARGVMENTVM VITAE Secundum.

ANTIQVVS hominum inimicus, callidus Sathan ſub nigri pueruli imagine, inexpertum puerum ex monachorum orato-

oratorio ſæpe per tunicæ oram, in clauſtra ad euagandum trahebat. quem pater BENEDICTVS ſemel aduertens, atque, Mauro teſte, trahi, & euagari proſpiciens, virga percuſſit illum, & abſque mora Dæmonem ab eo profligauit.

TETRASTICHON.

DAEmon ab æde ſacra puerum trahit, hunc pater ictu
Percutiens virga, cogit adeſſe choro.
Eſt chorus arx dilecta Deo, protecta ſupernis
Cœlitibus, Sathanæ valde odioſa domus.

VITA.

NObilius nihil eſt, quàm oratio pura, fidelis,
Deuota, atque humilis. lachrymante potentius illa
Quid? ligat affectu omnipotentem, vincit amoris
Igne inuincibilem ſathanæ fugat agmen in orcum.
A prece, quid mirum, monachus ſi dæmonis vngue
Gyrouagus trahitur rapido? teterrimus hoſtis
Totus in hoc incumbit. ibi certatio maior,
Maior vbi victoria, vbi vnica palma triumphi.
Debilis es ſathan; ac turpis ſub imagine tetri
Te præfers pueri; puerum pater ecce vagantem,
Verbere dum cædit, ſtabilem facit, ad pia fratrum
Vota coit, te autem trudit, ſub tartara truſum.

MORALE SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

ORATIO adeò eſt fortis, & potens, quòd vincit inuincibilem dominum, & Deum ligat omnipotentem.

DAEmon in hoc incumbit, vt à prece diſtrahat omneis
Chriſticolas, non ignarus, quàm oratio præſtet
Ante Deum. quot habet verba inſe, tot, mihi crede,
Tela intorquet, & arma aduerſus dæmonis agmen
Præparat. hac formoſa Iudith munita thorace,
Truncata ceruice Holofernis, abegit ab vrbe
Bettuliæ, immo ab agris eius numeroſa ferocum
Aſſyriorum caſtra, precumqúe iuuamine fiſa,
Aſſyrios ſtrauit cuneos, probia ſtruxit in aula
Regis, & in Solymæ geſſit regione triumphum.
Alta Synæ Moſes ſcandit iuga, fratre iuuante,
Tollit vtramqúe manum ſuper æthera, fundit odora
Vota; Amalechitas Ioſue fugat enſe phalanges.
Nonne Hebræa Heſter patruum cum ſtirpe Iacobi
Abſoluit letho, ac trabe penſo Naman ab alta,
Dimidium regni, auratæ poſt oſcula virgæ,
Promeruit, gemmante caput diademate cincta?
Ergo ſit affectu lachrymoſa oratio, pura,
Atqúe humilis corde, hæc ſathanæ propellit ab orbe
Inſidias, ab vtroqúe polo imbreis, nubila, motus,
Fulgura cum tonitru, in cælo ligat omnipotentem,
Quem terris reddit mitem, ſuper aſtra benignum.
His tu pugna armis miles fortiſſime CHRISTI,
Si victrici optas ſerto tua tempora cingi,
Ac ſuper æthereas fælix aſcendere ſedeis,
Non ignarus, vbi fuerit conflictio maior,
Maior ibi victoria, maior pompa triumphi.

ARGVMENTVM VITAE Tertium.

CONquerentibus de aquarum penuria, ac de earum incommoditate monachis, pius pater intempeſta nocte puerulo Placido comitatus, propiorem aſcendit colliculum, tum lachrymis, tum ſupirijs, ex arida cliui tellure, treis illico fonteis elicit irriguos.

TETRASTICHON.

CVM procul à clauſtris flueret fons, paſtor, ob ortis
Lachrymulis, fonteis treis propè clauſtra fodit,
Quas nequeunt deferre pigri ſine murmure fratres,
Fratribus en dat aquas ſupplice voce Pater.

VITA.

SEruitus ô CHRISTI *fœlix, proſperrimus, inquam,*
Diuini obſequij famulatus, inane potentum,
Ac ferale ſatellitium, mercede parantur
Verbera, pro merito ſoluuntur probra labore.
Quid muſſant monachi? laticis quòd copia deſit,
Quòd procul à laribus fluat vnda. ò pigra iuuentus
Negligis exiguo cœleſtia regna labore,
Cum tua dinumeret Raphael veſtigia gemmis?
Nocte ſoporifera BENEDICTVS *in ardua collis*
Culmina cum Placido ſcandens rigat aëra fletu.
Torrida mox deſudat humus, velut arida Moſi
Petra, parat monachis fluidum ſitientibus amnem.

Quem regnare putas? forſan, qui plurima ſceptro
Regna pari moderat? tyrio qui internitet oſtro?
Falleris ò miſer, ò infœlix falleris. vrnam
Geſtat aqua dorſo Placidus puer, inclyta magni
Tertulli proles, vt olympi regna capeſſat.

MORALE TERTIVM.

Argumentum.

NIl Chriſti ſeruitute præſtantius, nihil ſanctius, quàm eius præcepta ſeruare, qui precibus flectitur, & maiora dona elargitur, quàm quis efflagrat.

GEſtat aquam Placidus, Tertulli florida proles,
AEquatis humeris, humeris, tibi dico, tenellis,
Purpura quos texit, quos cinxit gemmea torques.
O piger, ò quicumque irrides iuſſa magiſtri,
Huius ad exemplum experrectus, ad omnia curre
Munera feſtinus, vel ad alta, vel infima, trino
Dummodo ſint accepta Deo, gratiſſima genti:
Et, quod habere cupis, precibus depoſce pudicis.
Nam nihil eſt tam grande, oneroſum, informe, ſeuerum,
Difficile, atque actu immenſum, quod cum prece pura
Non facile impetretur ab altitonante polorum
Principe flectit vtrumque genu BENEDICTVS, *in amplo*
Collis vertice, lachrymulas ſuper aëra ſpargit.
Ex arente ſolo emergunt tres illico riui
Tum vitreæ, tum dulcis aquæ; Tria dum loca ſaxis
Signat, & effodiunt ſignata ligone miniſtri.
Vnde hodie, ò mirum, nitidi fluit vnda liquoris.

ARGV-

ARGVMENTVM VITAE Quartum.

DVM Gothus quidam propè lacum ſenta loca ferro incautè expurgaret, ex manubrio ferrum in lacum protinus proſilijt. quod Pater ſanctus, immerſo in aquis manubrio, ex lacus profundo ferrum continuò exhauſit.

TETRASTICHON.

EXpurgante arbuſta Gotho, diſſultat in amnem
E capulo ferrum; ferrum hic ab amne trahit.
Hic cœleſtis homo, exemplar virtutis, imago
Doctrinæ CHRISTI, *Relligionis apex.*

VITA.

DVM Gothus ferro dumos purgaret acuto,
Exilijt ferrum capulo ſtagnantis in ima.
Gurgitis immerſo ſub aquis capulo, elicit inde
Paſtor, & elicitum Gotho mox reddit inerti.
Alter hic eſt vates, caluo qui vertice prauis
Opprobrio pueris fuit, vrſi fauce voratis.
Omnia ſi iuſtis parent elementa, quid illis
Obſiſtit fortaſſe latens in flumine ferrum?

MORALE QVARTVM.

ARGVMENTVM.

DEbilis eſt malignus hoſtis, nec vincit, niſi volenteis. Reſiſtite ergo Diabolo, & fugiet à vobis.

EST Sathan importunus, eos tentare laborat,
Et citò deuincit, ſtudijs quos cernit inerteis,
Et lare digreſſos ſpectat per aperta vagari
(lauſtra, & adire alacreis nouit conſortia fratrum,
Atqúe hominum cœtus, ſcurrilia promere verba,
Aut audire, ſuſurrones ſibi iungere prauos,
Et ſine diuino terrore humana, & iniqua
Blandimenta ſequi, quod inertia ſola miniſtrat
Inſidioſa boni, virtutum odioſa nouerca,
Garrula nugarum genitrix, ancilla malarum
Curarum, irrequieta quies, ſolamen vbiqúe
Inſolabile, dimidium vitæ, fœcunda dolorum,
Paupertatis, & ærumnarum mater, alumna
Tam ſcelerum, quàm altrix vitiorum, mortis imago
Dæmoni amica, inimica Deo, ſentina malorum,
Qua nihil eſt deſpectius. hanc BENEDICTVS *ab annis*
Contempſit teneris feruore, labore, precatu,
Et ſtudio exagitauit, & in feruore ſuperni
Numinis ad virtutis frugem traxit opimam.
Non igitur mirum, ſegetes ſi falce ſecaret,
Si terram foderet, ſi cederet alta ſecuri
Arbuta, ſi iaceret diuini ſemina verbi
Inter odora hominum collegia, & inter honeſtos
Cœnobij fratres, precibus ſi pelleret hoſteis,
Soſpite ſi vita infirmos donaret, in auras
Vitaleis traheret defunctos, mille per horas
Mira pater gereret, ſi Gotho denique ferrum
Immerſum ſtagno, à ſtagni diuelleret aluo,
Ne piger auriferum tempus, quo carius vſquam
Eſt nihil, obtereret, fieretqúe labore malignis

Spiri-

Spiritibus pauor, & ſuperis probitate propinquus.
Nam calida infeſtas longè fugat ollula muſcas,
Quas tepidum fouet admiſſas, ac nutrit ahenum.

ARGVMENTVM VITAE Quintum.

MAVRVS, magiſtri iuſſu, ſuper aquam ſicco pede properans Placidum infantem, aquis obuolutum, arrepto crine, quàm liberrimè extrahit.

TETRASTICHON.

MAurus ab vndifluo Placidum trahit amne voratum;
Tam patris voto, quàm probitate ſua.
Vt celeri tranſuadit aquas pede, ſic pede ſicco
Crine rapit puerum ſtricto, operante Deo.

VITA.

O Pigri, ò ſegnes monachi; puer almus ab aluo
Matris, aquam exhaurire volens, glomeratur ab vndis.
Quem patris imperio Maurus trahit amnis ab imo,
Sic pede menſus aquam ſicco, ac ſi littus obiſſet.
O humilis puer, ò puer inclyte, Tu ne potentis
Tertulli proles? humerum cui plena liquoris
Amphora depreſſat? rapidus quem fluctus in alto
Gurgite melota fotum patris erigit almi?
Grandis es ò Maure, ò CHRISTI *ſectator ab atris*
Non raperis, veluti Petrus, nec merger is vndis,

Sed pede fluctiuagum terſo premis æquor, obedis
Abſq́ue mora patri, Placidum mox tollis ab amne.
Vt dictu mirum, ſic eſt mirabile viſu,
Mentis in exceſſu cernis, BENEDICTE, volutum
Fluctibus infantem. currit celer illico Maurus
Calcat aquam plantis, vt amœna per arua profectus.

MORALE QVINTVM.

ARGVMENTVM

NVLLVS deterior inimicus, quàm voluntas propria; Ceſſet voluntas tua, & pro te non erit infernus. Tutius eſt regi, quàm dominari.

FRange voluntatem propriam, quicumque laboras
Sectari CHRISTI veſtigia. nam Deus ante
Omne æuum patris verbum, poſt temporis horam
Sanguine virgineo factum caro, cum vnicus eſſet
CHRISTVS, homo, atq́ue Deus ſub imagine noſtra
Se iactabat humi, geſtiſq́ue probabat apertis
Terricolas inter credenteis, non ego veni
Velle meum gerere, at ſummi mandata parentis
Perficere, & vota, & nutum, ſub imagine ſerui.
Tu miſer elata ceruice, ac fronte fricata
Omne tuum deſiderium, omnia vota, magiſtri
Præponis voto, deſiderioq́ue priorum.
Non ita Maurus agit, monachorum gemma, ſacratæ
Relligionis honor, quam cepit ab ordine ſtuam,
Vſque ad vitalem metam non liquit aratri,
Nec retro proſpexit, durè ſua vota ſecutus.

Conſpicit

Conſpicit exceſſu mentis Benedictus*, ab amnis*
Fluctibus obuolui Placidum, vocat illico Maurum,
Maure mi honeſte heros curre, & pede præpete ſtagni
Littus adi fili. en tumidis infantulus vndis
Obruitur Placidus. celerat veſtigia Maurus,
Crinibus arreptum madidis ex gurgitis aluo
Eripit infantem, ereptum patris ante gementis
Lumina deponit, ſicco pede menſus aquarum
Flumen, & infantem, & ſe ſeruat ab impetu ſtagni.
Fit Maurus palma dignus, dum lætus obedit.
Qui patris auſcultat vocem, nec obedit, Adamo
Eſt ſimilis; ſimilis Christo*, qui auſcultat, obedit,*
Ac peragit, fœlix erit hic, ſuper aſtra beatus.

ARGVMENTVM VITAE Sextum.

FLorentius presbyter charitatis flore aridus, ac inuidię odore floridus, nullo dignitatis ordine proſpecto, beatiſſimum Benedictvm virulento pane tam dirè molitur enecare, quàm ipſe inconſultò cæcus, & mortuus animam ſuam gehennalibus pœnis cruentis dedicat manibus.

TETRASTICHON.

PResbyter infectam Benedicto *deſtinat eſcam,*
Quam ſibi porrectam coruus abhorret auis.
Nam iubet inde pater deferri, coruus adunco
Arreptam roſtro, fert, vbi nemo manet.

VI.

VITA.

TVnc malus eſt peior, cum ſe bonitatis amictu
Obtectum ſimulat, vitijs cum pectora fœdat.
Inuidiæ faculis efflagrat hypocrita, virus
Pane ſub albenti BENEDICTO *mittit amarum.*
Nulla diu celatur hypocriſis; intima cordis
Dirutilant arcana Dei; BENEDICTVS *iniquum*
Nouit presbyterum; coruus, quam hic miſerat eſcam,
Vngue exhorret adunco, aut roſtro tangere ſummo.

MORALE SEXTVM.

ARGVMENTVM.

INVIDVS vt aliorum bono macreſcit, ſic hypocrita triſtis alterius ſanctitate excruciatur. Inferni gehenna mala conſcientia.

IAm minus opprimitur lumen, maiore nitente
Lumine; nocte micant ſtellæ, quas ſol die obumbrat.
Cereus offuſcat lychnos; vt flamma fauillas.
Fulgebat quandoque parum Florentius ater,
Inuidus, ambitioſus, hypocrita, triſtis, iniquus,
Nomine, non vita ſanctus, velut albus ab extra
Cygnus, & in carne atratus, nigrantia plebis
Pectora inumbrabat, mentis caligine cæcus.
Squallenti ex rupe effulget BENEDICTVS, *vt oris*
Sol ex eois, Florentij opacat iniquum
Nomen. hic inuidiæ accenſus face, & ambitionis
Gloriola extincta, BENEDICTVM *extinguere ſanctum*

Et re, & nomine, viru ardet ſub pane parato
Presbyter inferni Florentius, atque ſacerdos
Luciferi, ac mortis, nulla ratione coactus
Rerum iacturæ, opprobrij, vel dedecoris, vel
Corporis offenſæ, tantùm deluſus inani
Nominis applauſu populi cum laude ſilentis,
Auſoniæ lumen BENEDICTVM *extinguere tentat.*
Quàm miſer inuidiæ ſeruus tabeſcit alius
Fruge, ſuas nec opes delibat hypocrita fallax.
Inuidus ecce Caim fraterno ſanguine palmam
Tinctus vtramqúe, Lamech cæci pungeute ſagitta,
Interit. ecce Saul David probitate fureſcit
Percitus inuidia. Christum quis in arbore fixit,
Primigenam Dei, & vnigenam cano virginis almæ,
Nonne Iacob ſoboles? Abrahæ truculenta propago?
Inuidiæ ſuccenſa igni, ſtimulata furore
Tam ſibi, quàm proli irrorat caput impete IESV
Sanguinis, æternaſqúe luit ſub tartara pœnas.
Nil mirum, ſi ater Florentius ambitionis,
Inuidiæqúe face efflagrans, quo feruet amaro
Felle, ſub infecto pane, ac ſub honoris amore
Sidus eremicolùm, monachorum dogma, ſuperni
Principis athletam BENEDICTVM *quæritat almum*
Perdere ſub chari ſpecie patris, & ſub amici
Nomine dilecti, vera ſub imagine Iudæ,
Qui blando amplexu, falſaqúe ſalute MARIAE
Prodidit vnigenam Iudæis, mox ſtipe ſumpta.
Quàm ferale ſenis donum, quàm futile munus,
Quod nec ab immani roſtro corui, nec ab atro
Tangitur vngue, exhorret auis, volat vndique ſaltans

Deni-

Denique porrectum panem per deuia geſtans,
Abdit, vbi nemo verſetur, valle ſub ima.
Vir pie, ſi quis es, inuidiam, velut acre venenum,
Effuge, ne te extincto, alios extinguere cures.

ARGVMENTVM VITAE Septimum.

DVM paſtor vigil verſipellis hypocritæ technas detegeret, cedendum impoſtori illico duxit, ne puſilli gregis iacturam inopinè ſubiret. Inſtitutis demum præpoſitis per duodecim monaſteria, quæ iam affabrè condiderat, in Caſinum, montem ſibi diuinitus paratum, duobus comitantibus angelis, tribuſque coruis, cum nonnullis monachis, alacriter euadere ſatagit.

TETRASTICHON.

DVm nequit antiſtes BENEDICTVM *perdere viru,*
Perdere diſcipulos, qua valet arte, ſtudet.
Nam iubet ante illos nudas geſtire puellas,
Et choreas hilari ducere fronte vagas.

VITA.

PErfidus, infœlix, teter Florentius, orci
Presbyter atrati, BENEDICTVM *pane necari*
Non potuiſſe videns, teneros molitur alumnos
Virgineo vultu, ac feſtis mactare choreis.
Quo Pater admiſſo trepidans truculenta profani
Bella, ſacerdotis liuori cedere duxit,
Ne Veneris flamma, tenſoque Cupidinis arcu,

Soſpite

Soſpite ſe pubis feriantur corda tenellæ.
Fratribus amplexis, laribuſque ex more ſtatutis,
Nocte ſenex media ſuperûm comitante phalange,
Vt leo, carpit iter, montis parat alta Caſini,
Quò ſpectat, celeri faſtigia ſcandere greſſu.

MORALE SEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

OCVLI ſicut ſunt in amore duces, ita curioſis ſunt ſcandalo, niſi timore dei claudantur, & lachrymis diluant, quas admiſerint, vanitates.

SI quis in vrbe vna inſequitur vos, vos in aliud
Vrbis præſidium fugite, inquit motor olympi,
Ac terræ moderator IESVS. cedit atroci
Inſidiatori BENEDICTVS in alta Caſini
Culmina feſtinans; armatum non modò ferro,
Sed viru fugit aggreſſorem; ſubtrahit atro
Commoda presbytero peccandi; vitat honeſtæ
Damna iuuentuti, choreas dum vana procacum
Turma puellarum linquit, quibus intima fratrum
Pectora ſufflagrare queunt, niſi lumina vertant
Incauti fratres. Quis enim Dauide fideli
Sanctior? aut Samſone potentior? aut quis in orbe
Doctior, aut Salamone diſertior? attamen omnes
Fœminea capti ſpecie, atra in probra ruerunt.
Vilius emiſti Ieſſides blanda venuſtæ
Oſcula Berſabæ, Vriæ cur ſanguine ſoluis
Debita? Grande nefas, vxorem perpete probo

Afficis, atq́ue tuum fœdas diadema cruore
Coniugis, athletæq́ue tui, ducis immo fidelis.
Heroës inter forteis fortiſsimus heros
Samſon ab imbelli, ſucciſo crine, puella
Nectitur in gremio ipſius, multatur ocellis,
Inſtar equi ad ſaxum vinctus, molit inde farinam.
Quid tibi, dic Salamon, prodeſt ſapientia? amore
Nonne puellarum infatuatus, Numine trino,
Atq́ue vno ſpreto, exoras ſimulachra Deorum,
Thura litas Sathanæ, ſuffitis ignibus aras
Cingis, & oblitus proauorum legis, oberras
In præceps? reſipiſce, Deum venerare Iacobi.
Te fortaſſe latet cuncta inter prælia diri
Inſidiatoris nullum crudelius eſſe,
Quàm fragilis carnis certamen, vbi eſt vigil, atq;
Continuum bellum, victoria rara, cruore
Non ſine profuſo palma, aut ſine ſtrage triumphus?
In carnis pugna non oppugnatio palmam,
Sed fuga conſequitur laurum; captiuus habetur
Qui oppugnat, proprij depreſſus labe reatus.
Lumina non tantum diuertit aperta Ioſephus
Floridus, à domina complexus vtroque lacerto;
Sed, qua tentus erat, chlamidem dimittit in eius
Apprenſam manibus, fugitat pede præpete ſtuprum.
Tu demum muliebre genus fuge, lumina claude
Huius ad obtutus Baſiliſci; pectora viru
Inficiunt hominum, transfigunt corda ſagittis.
Plura ex his meditare malarum germina rerum,
Quæ muliebris alit ſexus ſub amoris amari
Cortice, ſub vana mortalis imagine vultus,

Ergo

Ergo fuge, eſcato ne huius capiaris ab hamo,
O quicumque Deo vouiſti mite pudici
Corporis obſequium, mentiſqúe holocauſta nitentis.

ARGVMENTVM VITAE Octauum.

PErcepto teterrimus Florentius abſceſſu Nurſini Patris, oppidò quàm congratulatur, exultat, debacchatur, totaque familia geſtiente, inſilit, cachinnatur, inſanit; cuius dementia benignus Deus ad iram laceſſitus, efflantibus vndique ventis, fulgurantibusque è cœlo ſagittis, domum cum ludentibus puellis tàm dirè obruit in ſtagno, quàm ſtultè Florentius lymphabatur in atrio.

TETRASTICHON.

PResbyter abſceſſu gaudet Patris, vnde puellæ
Instituunt choreas, & domus omnis ouat.
Mox domus è cœlo quatitur, ruit, opprimit omneis,
Oppreſſos celeri tartara ſtrage vorant.

VITA.

TAlia dum cæcus patula Florentius aure
Percipit, elato bacchatur vertice, geſtit,
Inſilit, ac ludentibus hinc, atque inde puellis,
Fulgure percutitur domus, excidit omnis in amnem.
Tunc celer egreſſum Maurus reuocare magiſtrum,
Inuigilat ſchedula, paſtor quem corripit atra
Lætatum nece presbyteri, diuina ſecutus

Iuſſa, initum maturat iter, quod duxit eundum.
O Gregis Vpilio vigil, ò vitij hoſtis, amore
Tu ſuperas odium, vincis pietate furorem,
Seceſſu inſidias retegis, pede bella fugaci
Debellas, viridi te ornat patientia lauro.

MORALE OCTAVVM.

ARGVMENTVM.

EXTREMA gaudij luctus occupat, & riſus dolore miſcetur. Qui ſtat, videat, ne cadat.

GAudia dum terrena capis, nihil eſt, quod ab illis
Vlterius ſperes, quàm mortis tædia, ſedeis,
Tartareas, æterna trucis tormenta gehennæ,
Ni Dei amore domes, & , vt arida, vana, caduca
Sunt, ſpernas, vtare, breui fruiturus olympi,
Delitijs, ad quas natus, dimittere debes
Omnia, quæ caro, quæ mundus, quæ infrena voluptas,
Suppeditat, tormenta animæ ſunt, finis eorum
Angores, lachrymæ, ſuſpiria, probra, dolores.
Nam roſa, dum ſpinis hæret, rubet, albet, odorat,
Vepribus excerpta elanguet, ſpoliata decore,
Qui pungant, dimittit acutos arida ſenteis.
Lilia diſflagrant, in agro candentia, granis
Suffulta aurimicis, granis viduata fricatis
Tam malè olent modò, quàm primò bene olentia ſtabant
Radice innixa, ac folio viridante comata.
Lubrica ſunt etenim mundi ſolatia, carnis
Sunt oblectamenta petulcæ ſordida, fœda

Lubri-

Lubriciora gelu, leuiora Aquilone fugaci.
Perfidus exultat Florentius, inſilit omnis
Turma puellarum, conſerta tripudia fiunt,
Et choreæ ſub eorum aula, abſq́ue pauore tonantis
Regis, ob abſceſſum Patris, illico cælitus ira
Cunctipotentis heri feruet, iaculantur ab æthra
Fulgura, deſcendunt imbres, volitantq́ue ſagittæ,
Ac terræ motus quatiunt laqueata profani
Tecta ſacerdotis, perflantibus vndique ventis,
Funditus aula ruit, ſaltanteis obruit omneis
Diruta presbyteri domus in nigra Tartara trudens.
Quod pius admirans Maurus dat opima benigno
Vota Deo, vltori ſcelerum, virtutis amico.
Hinc monet egreſſum regredi ſub clauſtra magiſtrum
Victorem, ſtrage inſidiantum cælitus acta.
Humanum ſcribit Maurus pietatis alumnus,
Iuſtitiæ cultor, vitiorumq́ue vltor acerbus,
Patris amore. Pater verò maiore profuſus
Lumine virtutum, David velut alter, ob hoſtis
Excidium lachrymis irrorat pectus, alumnum
Inſtruit, vt miſeri infortunia ploret amici,
Vt ſua, compatiatur ei pietatis amore.
Non iter arreptum dimittit in ampla Caſini
Rura, ſed actutum celerat veſtigia paſtor
Peruigil, illapſum deflens ſuper omnia caſum.
Abſq́ue oleo lychnus cæcutit, amore flagreſcit,
Qui pietatis habet nitidum ſub corde liquorem.
Iudicium pietate valet, ſine amore fureſcit.

TERTII VOLVMINIS VITAE D. BENEDICTI ABBATIS

COMPENDIVM.

SVMMA Caſinæi ſcandit iuga montis, & arcem
Aggere vallatam nemoroſo Nurſius intrat,
Scrutatur lucum, ſuccurrit Appollinis ara;
Quàm citò deuaſtat, luco ſimulachra peruſto
In cineres redigit; Baptiſtæ ſacra Ioanni,
Martinoqúe vouet templa, olim vota malignis
Spiritibus; condit monachis magalia; paſſim
Diuulgat populo, quæ ſint paradigmata IESV:
Quem Sathan oppreſſat lapidẽ, cruce tollit in altum,
Et, quæ difflagrat, tutatur ab igne coquinam,
Detegit anfractus Sathanæ, penitiſſima fratrum
Pectora ſcrutatur, nihil illi ex axe negatur
AEthereo; Vates hic operta, vt aperta, futurum,
Vt præſens nouit, propè quod procul eſt, videt omne,
Quot cyathos vini biberit, quas ederit eſcas
Extra cœnobium monachus, quas pectore mappas
Condi-

Condiderit ſatius cernit peccante; modeſto
Arguit eloquio iuuenem propè amabile fontis
Irriguum pranſum; Totilæ ſub imagine regis
Enſiferum monitat ſeruum deponere ſceptrum:
Vt iubet ad cœnam puerum tolerare lucernam:
Effugat à Clero Sathanam, bis ab æthere centum
Pollinis offendit modios ſecus oſtia clauſtri:
Cœnobium monachis deſignat in Anxeris vrbe
Sub viſu noctis, ſacraque ex æde ſorores
Siſtit oberranteis tumulo cum ſanguine CHRISTI.

VITÆ BEATISSIMI BENEDICTI MONACHORVM PATRIARCHÆ SANCTISSIMI,

A. R. P. D. Angelo Sangrino Caſinenſi Abbate, tum ſoluta oratione, tum carminibus, & ornatè, & copioſè deſcriptæ,

VOLVMEN TERTIVM.

ARGVMENTVM PRIMVM in primum vitæ articulum.

CVM in profanatum Caſini montem perueniſſet ſtrenuus cœli accola BENEDICTVS, cunctis ibidem ſimulachris in puluerem redactis, lucum vndique ſuccidit, Diuo Martino condidit ædiculam, aramque Apollini ſacram, Baptiſtę Ioanni religioſè dedicauit.

TETRASTICHON.

Templa Caſinei ſcandit pater auia montis,
Et, nemore incenſo, dat ſimulachra ſolo.
Ioannem extollens Baptiſtam in Apollinis aram,
Martino ædiculam non ſine laude ſacrat.

VITA.

SCABRA prophanati ſcandit veſtigia montis
Tygride præpetior BENEDICTVS, *Apolline ſtrato,*
In cineres, lucum ferro ſuccidit, & igne
Concremat, ac Phœbi deuaſtat funditus aram,
AEdiculam ſacrat Martino, altare Ioanni
Extruit, extructum Baptiſtæ dedicat omni,
Quo fas eſt ritu, artificem veneratus olympi,
Condidit arcta ſibi, ac ſocijs magalia paucis.
Deſtruis apte opifex ſtygijs conſtructa tyrannis
Delubra, & ſuperis ſpecioſas extruis ædeis.
Mutaſti loca, rupe relicta, montis in arce
Obſequeris cœlo, nec mutas bella maligni.
Te ſub presbyteri tentauit imagine quondam,
Te modò leuiathan marte inſectatur aperto.
Latrat enim impoſtor, Benedicte, heus, ò Benedicte.
Teq́ue ſilente, vlulat, Maledicte, heu heu, ò maledicte,
Cur mea ſternis humi, fratercule, ſpectra bipenni?
Tartaridum fortaſſe deos ex orbe putaſti
Trudere? deciperis, BENEDICTE, *immo Maledicte,*
Falleris, imprudens. ego, ego inſectabor in orbe
Te, quocumq́ue petes, nudo te perſequar enſe.

Teter

Teter es ò quantum, hic ait, an tu lucifer ille,
An ſectator es ipſius? ſuper aſtra locaſti, (bret,
An ſub humo ſolium? Dominus mihi dexter obum-
Sit Gabriel cuſtos, te nil formido, coruſcum
Sidus eras, nigrior pice es, ò miſer exul olympi.

MORALE PRIMVM.

ARGVMENTVM.

DOMVS Dei domus orationis. Veh illis, qui faciunt eam ſpeluncam latronum, mercatorum emporium, tetricam fabularum ſcenam.

MAgnus es ò Trini zelator Numinis, audax
Uniuſque Dei defenſor nominis; igni,
Ac ferro celſas proſternis Apollinis aras,
Proſtratumque eius ſimulachrum, vertice trunco,
In tenueis redigis cineres, ſectatus olympi,
AEquoris, ac terræ artificem; qui nobile, & amplum
Ingreſſus templum Salamonis in atra flagella,
Reſticulis pactis, mercanteis expulit omneis,
Mercibus eiectis, animalibus inde fugatis.
Talia qui permittit agi, non paſtor habendus
Eſt bonus, at vilis, trepidus, laruatus, agreſtis
Mercennarius, indignus paſtoris honore,
Nomine, & arte. lupum videt, ac fugit, optat amari;
Vult diteſcere, probra, ſuſurros, damna paueſcit.
Tu modò, ſi quis es, ò Præſul, ſacrata ſupernis
Atria principibus ſummo tueare fauore,
Supplice digna prece, intactis digniſsima votis.

Iſta profanari ſcelus eſt, & odibile crimen,
Fuſte nec extergi, nec aquarum flumine quibit.
Proh pudor, abſque Dei, ac ſuperùm formidine cæcus
Præſul ibi exercere negotia cuique fauescit,
Aut merces emere, aut illas diuendere, nugis
Indulgere, iocari, ludere, quàm ſcelus ingens,
Rixari, elato ſpatiari vertice paſſim.
Negligat ergo Dei templum, qui morte cruenta
Tartara mercari ſatagit; qui fulgida cæli
Atria ſuſpirat, templum Dei honoret in æuum.

ARGVMENTVM VITAE Secundum.

PASTOR deuotus tum crucis ſigno, tum orationis ope Dæmonem lapidi inſidentem effugauit. quo effugato, lapidem quàm leuiſſimè fabris actutum reddidit fabricæ accommodandum.

TETRASTICHON.

NVrſius à tetro depreſſum Dæmone ſaxum
Tollit in alta, Crucis vi comitante preces.
Dæmona qui pellit, potis eſt extollere ſaxum,
Quod nulla poſſunt arte mouere fabri.

VITA.

PAruula dum monachi condunt habitacula, totis
Inſudant neruis lapidem ſuperaddere muro,
Nec minus arte ſtudent, quàm vi, quia plumbeus ille

Præſtrictor grauat, ac manibus depreſſat ahenis.
Paſtor vbi technam Sathanæ videt eminus acrem,
Cominus accedit, lachrymis rigat aëra ſalſis.
Protinus impreſſa ſtygium Cruce pondus abegit,
Et leuiore manu lapidem prouexit in æthram.
Incubat in lapidem, ſaxo qui durior omni
Molle hominis cor indurat, ne crimina ploret,
Ac veniam mereat, ſed eremi transfuga factus
Cælicolûm decus, ac ſuperùm ſolamen omittat.

MORALE SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

SI ſpiritus malignus ſuper te aſcenderit, ne demittas locum, ſed ſigno Crucis eluctare. quod cum viderit, baculi meminerit, quo percuſſus eſt, & fugiat.

QVA valet arte, Sathan quærit, quem cribret amicum
Regis olympiaci, BENEDICTVM, qua furit, ira
Inſequitur rabida, proprijs ex ædibus exul.
Inſidit ſaxo grauior monte, ære, coloſſo.
Cor hominis durat natura molle, benignum,
Mite, ne acerba animæ contagia diluat imbre
Deuotæ lachrymæ, contriti pectoris igne
Expiet, atque ſalutifero cum ſanguine IESV,
Molliat, ac citius, quàm adamas confringitur hirci
Sanguine, confringat precibus. mihi crede, ferocis
Luciferi irrumpunt acies, vt turma leonum,
Ac tigrum mater, catulis ex vbere captis,
Debacchantur: eas ſi contra audacior ibis,

Vt

Vt damæ, ac lepores, fugiunt velocius ante
Vexillum Crucis, ante precum iacula, ante vocatum
Nomen IESV, *nomenque eius matris ab æuo*
Virginis, ante ſupernorum ſuffragia Diuûm.
Tu demum, CHRISTI *miles, ſi videris, agmen*
Tartaridum tibi rete parare, parare ſagittas
In te torquendas, ne abeas, ſed promptus adeſto
Bellator, nec abeſſe fuga nitaris arenæ:
Nec tibi confidas, ſed ei, quem noueris hoſtem
Viciſſe, ac mundum, CHRISTO, *qui regnat in æuum*
Victor, & ante Patrem pro nobis orat, Adami,
Ac genitircis Euæ culpam miſeratus, aperta
Vulnera denudans, memorat pro interprete plagas,
Et clamat, Miſerere Pater, miſerere Iacobi,
Atque Abrahæ prolis, propria quam morte redemi.

ARGVMENTVM VITAE Tertium.

DVM pius pater hoſtis præſtigio coquinam, ſcintillante igne, aduerteret vndique efflagrare, quem nulla aquarum illuuie agiles monachi valebant extinguere, ſtatim crucis ſignum impreſſit, ac lachrymas cum oratione in æthera fudit, & protinus, effoſſo Idolo, omnem penitus flammam extinxit.

TETRASTICHON.

IGne vident fratres rapido flagrare culinam,
Quem Pater, exploſa Dæmonis arte, fugat.
Protinus extinguit Sathanæ ignem, qui Dei amore
Ardet, & in fratrum res pietate calet.

VI-

VITA.

NON *ne homicida es tu, coluber, qui ab origine ſecli*
Cœlicolas inter nitidos rutilante nitebas
Lumine? cur ſqualles animalis imagine bruti?
I, niger, & phlegetontæis latitato ſub vmbris.
Tota tuo virtute, hoſtis, flagrat igne culina,
Præſtigioque tuo nequeunt incendia, lymphis
Ex puteo tractis, agiles extinguere fratres.
Tu quorum effoſſo perſtringis lumina monſtro.
Haud ſecus æthra ſuo ac Veſuuius igne per ampla
Euomit ora faces: quid ni? maiore coquina
Scintillat flamma arte tua, ò ſtygis eſca flagrantis,
Tu, tu aliena vris proprio, quo incenderis, igne.
Ars nihil inſidioſa parit; quibus vteris, arma
Te laniant retruſa, refelleris improbe techna,
Fallere qua ſatagis; flammam Pater ecce doloſam
Pandit eremicolis, luſtrans prece lumina, cæcis.
O ſuperùm, ò hominum inſidiator pacis, Adamum
Angue ſub arguto, decepta vxore, fugaſti
Ex Eden xiſto, vt BENEDICTVM *rupis ab antro,*
Te cœlo expulſum, fugat ipſe ex arce Caſini.

MORALE TERTIVM.
ARGVMENTVM.

MILLE Dæmonis nomina, vt mille artes. lubricus enim ſerpens eſt, niſi capite teneatur, totus illabitur.

O colu-

O Coluber verſute, animo dum duplice ſerpis,
Multiplici arte hominem fallis, ſub melle venenum
Porrigis, auratoque propinas fellea vitro
Pocula, ſub roſeis occultas frondibus anguem;
Nunc contra, ecce coquina ardere videtur ab imo
Ad ſummum; feruent ollæ, nec iura lebetes
Lauta vomunt, nec edulia ahena profundunt.
Hic nihil abſumunt flammæ, nihil officit ardor;
Vana, tibi dico, tua ſunt præſtigia Dæmon,
Ægra quibus trepidæ perſtringis lumina plebis,
Non BENEDICTI oculos, cuius tu nomine langues.
Inueterate dolis, homines ita duplice fallis
Præſtigio, vt tecum raptes ſub amara gehennæ
Flumina, vbi æterno crucientur ab ipſius igne,
Te niſi deſpecto, CHRISTI documenta ſequantur.
Non ne Euam pomo viſu pulchro, atque ſapore
Mellifluo decepiſti, cum coniuge Adamo?
Nos, quibus exorti, ò miſeri, ò ſine labe nepotum
Progeniti infœlices, improbitate parentum,
Concepti mortales, vitam degimus omni
Ærumnæ addictam, tua quæ fuit atra, ſuperba,
Inuida mens, inimice Sathan, truculente, maligne.
Quiſquis es ergo, nigras hoſtis procul aſpice technas,
Ne pro auro cœnum, ſpinam pro flore capeſſas.
Ceſpitat in præceps, ſua qui veſtigia cæco
Dirigit obtutu, minus errat, qui ſibi viſum
Tendit iter, callemque oculis metitur apertis.
Victor erit dignus viridanti fronde, triumpho
Dignior æthereo, Sathanæ qui nouerit arteis,
Huncque ſuis pugilem notis ſuperauerit armis.

ARGV-

ARGVMENTVM VITAE Quartum.

INſidiatoris arte paruulum monachum ex alto pariete lapſum medicus CHRISTI BENEDICTVS ad vitaleis reuocauit auras, incolumemque factum mox ad opus inceptum deſtinauit.

TETRASTICHON.

LAbitur ex muro puer, impellente maligno,
Quem pater ad vitam mortis ab vngue trahit.
Dæmon ab egregio ſuperatur patre; puellus
Fortior ad fabricam, quàm fuit ante, redit.

VITA.

CVR me perſequeris? mea cur ſacra numina ſpernis?
Me prece, vt enſe, feris, ſtricto: fabricantibus ecce
Fratribus inſidiabor, ab alto corruet ingens
Arte mea paries, monachum lacerabo puſillum.
Sindone geſtatur nitida pauperculus ante
Patris honeſta pij veſtigia, totus ab aure
Ad talum vſque lacer, iungit pater oſſibus oſſa,
Et carnem carni ſolida compage coaptat.
Surgit in ereptum corpus puer, hæret vtraſque
Integer in palmas, vitali percitus aura,
Alite feſtinat greſſu celerare laborem,
Quem ſemel aggreſſus, merita optat claudere meta.

MORALE QVARTVM.

ARGVMENTVM.

NIL poteſt Satan abſque Dei nutu; tentat Iob, nec abſque eius voluntate; inſilit in porcorum gregem, ſed Chriſti permiſſione.

Vilis es ò quantum Satana, & licet eſſe potentem
Te ſimules, & honoratum: protrudis in ima
Ex alto puerum, lanias in fruſtula corpus
Eius, & alitibus lacerum dimittis edendum.
O homicida ferox animæ prius, indè caduci
Corporis, à primæua hominum vel origine rerum
Nonne Caim interfecit Abelum, te duce, tractus
Inuidia? ſub auaro animo Schariotis, & atro
Pectore dilatitans CHRISTVM *crucis arbore pendi,*
Atque illum laqueo torqueri, non ne patraſti,
Qua furis inuidia, humani trux ſanguinis oſor?
Tam necis humanæ ſitiens, quàm auidiſsime amator?
Vilis es, atque adeò miſer, vt nihil abſque polorum
Artificis nutu valeas ſub cardine cœli
Intentare mali, minimum nec carpere crinem
Ex hominis capite, aut ex bruti vellere floccum.
Iuſtum tentaſti Iob, nec ſine regis olympi
Permiſſu, vt ſua fulgeret patientia terris,
Dedecoriquè tibi foret, ipſi gloria laudum,
Qui tua frænato moderatur geſta lupato:
En tua cerne, miſer, legio ex vnius abacta
Corde hominis, turmas porcorum inuadere poſcit,
Nec ſine IESV *agit aſſenſu, nec mergit in æquor.*
Sic CHRITI *admiſſu, non arte tua, aut tuo atrocis*

Iure voluntatis puerum iacularis ab alto,
Vt tua quàm vilis ſit virtus, quàm arcta facultas
Eniteat terris: BENEDICTI quàm ſit honeſtus,
Quàm ſublimis honor, quàm ſit præcelſa poteſtas
Ante Dei numen pateat mortalibus ægris,
Orbe ſub æthereo, ſuperis ſuper aſtra beatis,
Cum defuncti animam pueri reuocarit in auras.
Si nihil abſque Dei nutu valet hoſtis iniquus
In nos moliri, quid homo pauet eius opertas
Inſidias? ſit vbique Deo coniunctus amore,
Et fide, & argutas ſatanæ derideat arteis.

ARGVMENTVM VITAE Quintum.

VATES noſter fratres extra cœnobium pranſos acerrimè corripit, & in eoſdem correptos, qua decet cenſura, benignè animaduertit.

TETRASTICHON.

DVM procul à clauſtris comedunt ientacula fratres,
Proſpicit hæc vatis lumine cuncta ſenex.
Hos velut oſores legis monet, vltro profeßi
Singula, dant pœnas, quas meruere pareis.

VITA.

TE nihil, ò CHRISTI vates, latet; omnia ſole
Fulgidiora vides, monachi quot opima vorarunt
Fercula, quot cyathos dederit virguncula vini,

Vt præſens, noſti abſens, ò mi oculate Propheta.
Quàm fœlix, quàm tutus erit, qui clauſtra frequentat.
Cœnobio quicumque exit, velut æquore cetus,
Interit, egreſſus: patet agnus ouile relinquens
Vnguibus vrſi, vt ouis vaga currit in ora leonum.
Non tot ab æthereo diffulgent ſydera cœlo,
Nec tot ariſticomos floreſcunt grana per agros,
Quot parit hic monacho illecebroſa pericula mundus,
Quot ſacra concipiunt diuinos clauſtra fauores.

MORALE QVINTVM.
ARGVMENTVM.

DILIGIT Deus peccatorem conuerſum: nec hominem odit quem creauit, ſed peccatum, quod benignè dimittit.

QVI ſine peccato eſt, Deus eſt, peccantis abhorret
Flagitium, non peccantem, quem nouit ab aluo
Matris ad omne malum procliuem, ni ſua paßim
Gratia ſuffragetur, amat Deus omnia terris
Condita, præter eorum crimina. nemo fugatur,
Se niſi qui vitio dedat. ſcelus omne relinquat,
Qui cupit amplecti à Domino, vel gliſcit amari.
Nam quicumque ad eum contrito pectore currit,
Crimina lachrymulis tergat prius omnia ſalſis,
Et fide, amore, & ſpe ipſius dilambat acerba
Vulnera, præſertim lateris fontale cruoris
Irriguum, reſona ſucclamet voce per auras,
Peccaui, miſerere mei, miſerere gementis
Peccaſſe, ò veniæ indultor largißime, amator

Peccantum, dulcis, mitis, pie, grate, benigne,
Inclyte IESV, tu ſolus ſine crimine natus
Nos à ſorde lauas fœdos genitricis ab aluo,
Non Nili latice, aut hircino ſanguine tinctos,
Sed tuo ab exhauſti iam corporis artubus orto.
Non tam culpa Deo, quàm ceruix diſplicet alta
Poſt culpam, vel deſperatio poſt ſcelus omni
Crimine deterior. nec amore, nec impius ira
Flectitur, obdurat cor, vt æs, iacet obrutus imo
Sub barathro ſcelerum, contemnit lumina ſurſum
Tollere diffiſus venia, velut orba ſub atro
Puluere Talpa latet, fugiens, vt Noctua, lucem.
Tu, qui errata gemis, patri fateare benigno,
Vt veniam capias lachrymis confeſſus obortis.
Nemo equidem ſine peccato, ſine crimine degit
Sorde ſub humana conceptus origine natus.

ARGVMENTVM VITAE
Sextum.

VIRVM deuotum, qui ſemper ſanctiſſimum BENEDICTVM incœnatus ſemel in anno viſebat, modeſtus propheta noſter modeſtiſſimè arguit, quia blando comitis hortatu in itinere, fracto ieiunio, comedit propè fontis irriguum.

TETRASTICHON.

VIR probus ò quoties patrem ieiunus adiuit,
Hortatu comitis, nunc dape paſtus adit.
Nurſius id vates venienti pandit amico,
Damnat amicitiam, quæ malefacta docet.

VI-

VITA.

CAlue quid hoc celebri ſpectas Heliſae magiſtro
Clarius? infectum lepra reprehendis alumnum,
Arguit hic iuuenem, per iter quem vidit, amico
Inuitante, dapes edere, ac potare falernum.
Qui ſacra ieiunus viſebat templa quotannis,
Nunc ſecus irriguos latices, & amœna cibatur
Prata, vir increpitat blandè BENEDICTVS, *& eſcam,*
Qua deluſit eum illuſor, denudat apertè.
Nil fugit artificem cœli. fortaſſis amico
Celatur quicquam? alter ego appellatur, & eius
Eſt cuſtos animi. BENEDICTVS *cuncta ſub orbis*
Autore agnoſcit, quia amicus, & hoſpes olympi.

MORALE SEXTVM.
ARGVMENTVM.

EA eſt vera amicitia, quæ Charitatis glutino copulatur, non quæ lucro, aut vitio comparatur.

NObile propoſituum, longa aſſuetudine cretum
In melius, nullo comitis ſolamine frangi
Debet, vbi vitæ frugalis oberrat honeſtas,
Et trahit in vitium nos ingluuioſa voluptas.
Quem tibi conſocias comitem, prius aſpice mores,
Quos habeat, ne, dum facundum credis habere
Pro curru, nugacem offendas, delitioſum,
Ac mollem, qui ſit per iter tibi tædio, vt vrens
Ventus, iter non abbreuians, ſed longius augens.

Si quis amicus erit fidus, non, quæ ſibi tantum
Proficient, curat, ſed amico: nec propè fontem
Irriguum, nec lauta inter conuiuia veræ
Fœdus amicitiæ pactum probat inter edenteis,
Verùm in amicorum ærumnis, rebuſquéſiniſtris.
Infortunia, pauperies, incommoda, morbi,
Damna probant, reprobantqúe ligamen honeſtæ,
Ac veracis amicitiæ, non munera, nugæ,
Verba doloſa, nec exterior reuerentia fallax.

ARGVMENTVM VITAE Septimum.

TOTILA Rex experturus, an BENEDICTVS prophetiæ ſpiritu frueretur, enſiferum ſuum regalibus indui veſtibus iubet. quem fucato indutum amictu propheta noſter eminus aduertens, blandiuſculè illum admonuit, & Simiam eſſe, non Leonem ſub Regia Purpura preſagijt.

TETRASTICHON.

Totila quem mittit BENEDICTO *Regis amictum,*
Purpura, hic enſiferum detegit eſſe virum.
Nil latet obtutum vatis. qui cernit olympi
Induperatorem, cernit humi famulum.

VITA.

Experiare, oro, experiare, quid inclyte muſſas
Totila rex tecum? BENEDICTVS *an ætheris aura*
Afflatus ſit, an inuaſus Pythone prophetet?

Expe-

Experiri are an operta ſciat, vel aperta reuelet.
Enſifer en Rigus, tyrio quem murice veſtis,
Quem ſceptro munis, rutilo quem regis honeſtas
Stemmate, ſcutigera procerum comitante cohorte,
Noſcitur à vate, à Benedicto *vt ſeruus habetur.*
Geſtit equus phaleris, clitella geſtit aſellus,
Quemque ſuus decet ornatus, religia pone,
Quæ tua non ſunt, indumenta, ô armiger enſe
Vtere pro ſceptro; galeæ diademata cedant.

MORALE SEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

Monachvs, qui propriam mactat voluntatem, ſine ſanguine, & igne martyr eſt. Nulla maior victoria, quàm vincere ſeſe, & alijs libenter indulgere.

Qvàm bonus eſt Deus his, recto qui corde capeſſunt
Iuſſa eius, peraguntque animo meliore, ſequuntur
Non celeri tantum pede, ſed Cruce vtroque lacerto
Complexa, ipſius veſtigia, tum nece ſpreta,
Ad pœnas, ad tormenta atque ad atrocia mortis
Opprobria accedunt, velut ad conuiuia, læti:
Hæc, immo his maiora Pater Benedictvs *amore*
Nominis effecit Christi, *licet ipſe cruentum*
Martyrium non pertulerit, tamen extitit arctis
In clauſtris Martyr præclarior, ac ſi in arena
Pugnaſſet cum Tygride, cum Vrſo, cum truce Pardo,
Atque feroce leone. quot illi hoſtilia ſtruxit
Bella Sathan? Quot ei caro blanda parauit

Prælia

Prælia? quot mundus porrexit pocula mortis?
Non ne fuit pluſquam martyr, non ſimplice ſerto,
Sed triplici dignus diademate, victor in antris,
Victor in anguſta rupe, inter denſa comantum
Arbuta ſyluarum, victor generoſus vbique,
Atque triumphator ſublimis honore ſupremo,
Non hominum modò, ſed diuorum laude verendus.
En dilapſus equo, deflectit Totila collum
Curuus vtroque genu BENEDICTO, *mille ſalutes*
Impertit, totidem dat palmis oſcula, parci
Expoſcit ſibi, quòd ſeruum ſub imagine regis
Miſerit enſiferum, experturus, an ipſe propheta
Eſſet, an aura eſſet vulgi, intolerabile murmur.
Qui ſuperûm Regi ſeruit, dominatur honeſto
Iure hominum Regi, cognoſcit operta, vt aperta,
Pectoris acta, animo qui puro cernit olympi
Autorem, nihil eſt, quod ei celetur in orbe.

ARGVMENTVM VITAE Octauum.

REX Totila certo certius intuens Nurſinum vatem Prophetiæ dono pollere, flexis ſtatim genibus, illum ſummopere veneratur, à quo demum in ſpiritu lenitatis admonitus barbaricam ferocitatem cum mititate Chriſtiana prorſus mutauit.

TETRASTICHON.

Inclytus, vt nouit BENEDICTVM *Totila vatem,*
Mox toto ſtratus corpore adorat eum.
Conſulit vltro Dei ſeruum, quam ducere vitam
Debeat, audit eam; quæ dat in aſtra viam.

VITA.

CLara Dei virtus, celebranda potentia ſummi
Regis olympiaci, parent cui numina regni,
Vertice quem prono veneratus adorat honeſtum
Ante patrem, genibuſque aſſurgit Totila flexis.
Totila, quid mirum, tremulo ſi pectore ſacris
Oſcula congeminat Benedicti *dulcia palmis,*
Quem verè agnouit vatem, reueretur, & audit?
Vt monitoris agat, quæ dat monimenta ſalutis?
Regia nobilitas virtuti ſubditur almæ;
Et probitate magis regitur, quàm viribus altum
Dirigitur regnum; victoria nulla ſub aſtris
Maior, quàm ſe vincere, quàm ſe offerre tonanti.
Quid regale magis ſolium pietate venuſtat?
Sola colit diadema ſuis clementia gemmis,
Vt regis ſceptrum miſeratio flectit eburnum,
Purpura, non oſtro fulget, niſi amore niteſcat.

MORALE OCTAVVM.
ARGVMENTVM.

NIl regalius Chriſti ſeruitio, nil eius religione ſublimius. Totila rex Chriſti ſeruo aſſurgit, eiuſque monachum audit, conſulit, mutatur in virum alterum.

QVid miraris, homo, Patri ſi Totila diuo
Barbarus aſſurgit rex, ſi, velut agnus ad vber
Matris, ab ore eius pendet, ſi dulcia Iesv
Dogmata melle magis libat, vel nectare guſtat?

Eſt

Eſt homo natura docilis, non bellua ſegnis
Hircanis exorta iugis, lactata leenæ,
Aut vrſæ mammis, ſeu tigridis alta papillis.
Cum fera nulla adeò immanis ſit, vt arte, vel vſu,
Ingenioqúe hominis nequeat miteſcere; ludit
Vrſus, & athletam complectitur abſqúe ferino
Dente, vel vngue alluctatur, ſalit, altus in ambas
Erigitur plantas, operatur ad omne magiſtri
Imperium, quæcumque gerit, canis inſtar amici.
Num leo magnanimus pecorum fortiſſimus audet
In placidum ſæuire ducem? velut hædus alumnum
Paſtorem ſequitur, feritatem oblitus atrocem,
Grata in ſe officia agnoſcit, gratiſſimus acta.
Totila barbarie exutus, pietatis amictu
Indutus, ſacrata colit Crucis arma cruentæ;
Nurſino ſpondet meliorem degere vitam,
Chriſticolaſqúe manu forti, ſummoqúe fauore
Protegere, amplecti, auxiliari, augere, tueri.

ARGVMENTVM VITAE Nonum.

CASINI vates Romam non ab hoſtium exercitu depopulandam præſagit, ſed cœleſti fulgure, feralique morbo deuaſtatum iri Venuſino Antiſtiti obnixè efflagitanti enucleatius retexit.

TETRASTICHON.

A Sene ſcrutatur Præſul Venuſinus, an vrbem
Totila Romulidum diruet enſe ferus.
Audit ab illuſtri Patre Romam non truce regis
Vaſtandam gladio, at fulgure, peſte, fame.

VITA.

DIua patent arcana Patri, ferale Quiritum
Præuidet excidium, ruituram fulmine Romam,
Et ſoluenda canit Capitolia turbine vaſto,
Tum morbis moribunda refert pecuaria diris.
His ſacer auditis Præſul, perfundit amaris
Pectora lachrymulis; quòd in vrbe proteruus, & ater
Totila nil cædis peraget, gratatur olympo.
Lacte puer matris, Patris hic ſermone cibatur.

MORALE NONVM.

ARGVMENTVM.

AQVILA irreuerberatis oculis intuetur lumen ſolis, ad cuius aſpectum Noctua caligat, & hallucinatur ſplendore. Pura anima purum contemplatur Deum, cæca autem, vt Talpa, ſub ſcelerum puluere deliteſcit.

FOElices animæ, quibus elargitur ab alto
Noſſe Deum, quo noto, noſcunt cuncta futura,
Vt præſentia, proſpiciunt ventura per horas,
Ac ſi veniſſe aſpicerent, ſine nubilo, & abſque
Errorum caligine, nil (mihi crede) verendum,
Quòd qui cognoſcit plaſtem, ſub eo omnia noſcit
Plaſmata, tantò enim præſtantius illa tuetur
Quantò proſpicuè, ac clarè magis aſpicit horum
Artificem mundo corde, obtutuque pudico.
Nurſius in rerum factore futura Quiritum
Infortunia proſpectat veriſſima luce

Cœlitus

Cælitus infuſa, nitido ſub corde flagranti.
Qui ventura cupit cognoſcere, cor prius omni
Expurget macula, lachrymas, ſuſpiria, voces
Offerat inde Deo ſupplex, qui arcana reuelat,
Tunc voti compoſerit, atque optata capeſſet.
Cor hominis iuſti nitidum domus aurea regis
Omnigenûm, cæleſtis vbi conſulta ſenatus
Sunt, vbi pax, vbi lux, vbi ſedes plena quietis,
Abſque dolore ſalus, vita eſt ſine morte perennis.
Cor hominis praui temeratum, turpe ſuperbi
Dæmonis hoſpitium, fiunt vbi cuncta malorum
Concilia, inſidiæ, fraudes, homicidia, ſtrages,
Furta, doli, rixæ, carniſquè infrena voluptas.
Et, quod erit peius, cælum ſibi prouocat hoſtem.

ARGVMENTVM VITAE Decimum.

CLERICVM Aquinatem, à Dæmone inuaſum Præſul BENEDICTVS benigna admonitione corripit, atque ab eo tortuoſum leuiathan protinus expellit.

TETRASTICHON.

Clericus à diro cruciatur Dæmone: liber,
Dum ſancti ſpernit iuſſa, prophanus obit.
Vita ſacerdotis CHRISTI *caro iuncta cruori,*
Quam qui edit indignè, pharmaca mortis edit.

VITA.

QVem ferus inuaſit Belial, lymphatur Aquinas
Clericus, ore fremit rabido, diſcerpit acutis

Dentibus

Dentibus omne, quod vngue nequit lacerare cruento,
Vt lea deſæuit, raptis, velut vrſa, catellis.
Siſtitur ante Patrem, manibus poſt terga reuinctis,
Nullus vbi Martyr ſuccurrerit, auia quamuis
Mauſolea herum ſupplex celebrauerit omni,
Qua fas eſt, pietate, omni, quo ſpectat, honore.
Vt pius aduertit BENEDICTVS, *amore caleſcit*
Diuino, iuuenem monitat duce viuere IESV
Sanctius: hinc rabido inuaſum colubro eripit, auo
Dummodo ſe nullo inſtitui petat ordine ſacro.
Dedecet indignum ſacro ſe munere dignum
Aſſertare virum, proprio ſi crimine ſordet.
Oza cadit, ſacram manibus dum ſubleuat arcam.
Se laqueo interimit Domini poſt oſcula Iudas.
Dum miſer aſſentit iuuenis, vaneſcit in auras,
Vt vapor, ac fumus, Dæmon Cruce patris abactus.
Tempore poſt longo prouectus munere diuo,
Hoſte furit priſco, ſtigijsque inuoluitur vmbris.

MORALE DECIMVM.

ARGVMENTVM.

NEMO ad ordines accedat dignitatum, niſi vocetur, tanquam Aaron. Interit Oza tangendo arcam fœderis, & Iudas poſt oſculum Chriſti ſe laqueo ſuſpendit.

QVàm ſit homo infœlix, ſacris qui ſe ingerit vltro
Ordinibus, nec eum virtus, nec vita ſub aſtris
Commendat, iuuenis pandit, quem Dæmon ab almo
Patre ſemel pulſus, rurſum maiore furore

Exa-

Exagitat, vetitis cum ſe ſe adiunxerit aris.
Longè, inquam, infælicior eſt, qui ſorde profuſus,
Flagitijs, veluti lepra, conſperſus adire
Sacramenta audet rugoſa fronte, maligno
Pectore, deprauato animo, ceruice ſuperba.
Altare aſcendit ſacrum, memorabile IESV
Libamen, qua fas eſſet ratione litandum,
Non litat effuſis lachrymis, prece ſupplice, puro
Corde, ſed oblitus lapſæ contagia vitæ,
Sic CHRISTI menſæ accumbit, ſic ſacra frequentat
Sancta, vt non CHRISTI corpus, ſed habere placentam
Ante oculos credat, nec non libare falernum
Somniet, autoris vitæ ſorbendo cruorem.
O' Miſer, ac multò infælicior omnibus, inquam,
Presbyteris, ò quàm melius foret ore aconitum
Abſorbere atrum, prunaſque vorare flagranteis,
Quàm CHRISTI carnem vero cum ſanguine ſpurca
Contrectare manu, immundo glomerare palato,
Gutture deglutire auido, extis voluere fœdis.

ARGVMENTVM VITAE Decimum.

IMMANE monaſterij excidium præuidens noſter pius Hieremias, lachrymis irrorat genas, ac percontanti eum enixius Theoprobo, futuram cœnobio ruinam ſeriatim recenſet.

TETRASTICHON.

COEnobij excidium paſtor dum præuidet almus,
Perfundit lachrymis pectus, & ora ſuis.

Obtinet

Obtinet à CHRISTO *cunctos prece ſupplice fratres*
Seruari incolumeis, cade ruente ſacra.

VITA.

MOllia lachrymulæ pandunt fore corda tenellæ,
Triſtia vbi gemis infortunia, mors vbi dira
Graſſatur, lachrymat notum ſibi Præſul ab alto
Cœnobij exitium, flet atrocia funera fratrum:
Soluitur in fletum lachrymiſquè Theoprobus vdis
Irrorat vultum, pectus mœrore profundit,
Dum patris ingenti videt angi corda dolore,
Nec cauſam nouit, nec, quæ ſit origo, capeſſit.
Tunc inquit Pater, accenſæ, quibus vror, amicum
Non lateant faculæ, moneor ſublime Caſini
Cœnobium prorſus ruiturum hoſtilibus armis.
Vt viuant animæ, tantum mihi ceſſit olympus.
Summa in amicitia lex eſt, qui credit amico,
Credat amicus ei, angorem miſeratus amici,
Vt proprium doleat. ſæua quod ſorte fatigat,
Non minus hoc toleret, quàm quod fortunet amicum.

MORALE VNDECIMVM. ARGVMENTVM.

NIHIL eſt, quod oratio non facilè impetret, ſi fuerit pura, fidelis, & lachrymoſa.

QVàm fuerit gratus ſuperis BENEDICTVS, *acerbum*
Cœnobij excidium claro irrutilantius aſtro

Denudat;

Denudat; monitus ſiquidem Pater AEthere ab alto
Inſtare exitium, flexo mox poplite, fuſis
Extergit lachrymis præcordia, ſupplice voto
Ad Dominum clamat, miſerere tui, miſerere
Cœnobij, atque gregis ſub eo tibi nocte, dieqúe
Munerá ſoluentis laudnm, non vt tua digna eſt
Inclyta Maieſtas diuûm celeberrima laude;
Sed velut humanum nobis permittit in horas
Obſequium. Peccauimus, indulge, oro, benigne
Peccantûm miſerator, ab æuo tutor vbique
Peruigil errantûm, lachrymis qui crimina tergunt,
Et quibus omne ſcelus ſola pietate remittis.
Non, vt fas eſt, ò mi rex, vlciſcere noſtra
Flagitia, æternis, fateor, digniſſima pœnis,
Sed dando veniam culpis, ſoluendo reatum,
Vt pietas tua, ſic tua nos miſeratio ab axe
Spectet vtraque reos, ſaltim tueare fideleis
Inte ſperanteis animas, lare prorſus ad ima
Deiecto, rebus populato, atque igne cremato.
Quæ credunt inte, oro, animas abſolue ab atroci
Strage, & ab immani Satanæ defende lacerto.
Nec mora. vox liquidum reſonat per inane canora,
Ne paueas, BENEDICTE, animas tibi cedo, ruente
Cœnobio. quod ita effectum cognoſcimus vſque
Nunc, vbi ſi qui habitant vitæ ſi munere caſſi
Non ſine gratifico dono, ſuper æthera læti
Euadunt Patris obtentu, ac morientis amaro
Pro noxis fletu, vt certa experientia pandit
Quottidie, & nos certo certius iſta fatemur.
Denique, ſi quis es, ò habitator honeſte, habitanti

Non tibi deficiat deuota, ac prompta voluntas,
Vt tibi ſupremo vitæ diſcrimine lætus
Succurrat Pater, & ſecum ſuper æthera ducat
Angelico ſociante choro, fratrumque corona.

ARGVMENTVM VITAE Duodecimum.

VIr probus, & dapſilis duo œnophora falerni optimi plena amico ſuo, & patri dilecto per famulum miſit, quorum alterum famulo inter rubeta occultanti Nurſinus vates reuelauit dicens, quid miſer egiſti? œnophorum, quod occultaſti, tibi pro falerno anguem propinabit: Vide cautè, ne, ſicut tu furto animam occidiſti, anguis ex vaſculo emergens tuum veneno corpus interficiat.

TETRASTICHON.

BIna vir eximius famulo dat vaſa falerni
Danda ſeni: ipſe vnum, non duo donat ei.
Dum vas occultum famulus deflectit in ora,
Erumpit coluber, vate monente, foras.

VITA.

CVm duo nectarei deferret vaſa falerni
Seruulus, hic vnum rigidis ſub vepribus abdit,
Alteriuſque meri œnophorum deportat amico
Ebrius, idque metu Domini, non patris amore.
Occulis, infœlix, vinum, miſer, occulis inter
Senta: quid ebrietas pariat temulenta pudoris,
Nec non dedecoris, lurco, meditare minacis

Verba

Verba Patris, reuerere, bibax, monimenta ſalutis.
Imprudens nebulo, vappa inſulſiſſime, gratum
Fallis herum, imponis vati, vno crimina furto
Plura patras, mentem laceras tibi vepre. Chelydri
A vaſe exprompti ſugent tibi fauce cruorem.

MORALE DVODECIMVM. ARGVMENTVM.

QVI Euæ ſuggeſſit pomum, CHRISTO, vt ex lapide faceret panem, ſeruo, vt inter fruteta œnophocum abſconderet, expellendus eſt, vt verſipellis, vt mendax, & pater eius.

EX ore œnophori coluber prorumpit aperto,
Quo puer aſpecto, trepidat, pauet, horret, inhæret,
Obſtupet, ex temeto, veluti prædixerat illi
Nurſinus Vates, ſerpentem protinus ortum,
Et minus aduertit rodi truciore colubri
Dente ſuum pectus, rigidis dum ſentibus abdit
Melliflui vini œnophorum. puer ebrie, noſti,
Nec te præterit, ò temulente, ò ſtulte, quòd hoſtis,
Atque hominum impoſtor Dæmon ſub imagine tetri,
Verſuti, ac vapidi ſerpentis decepit Adamum:
Expulit ex horto Paradiſi, intruſit in huius
Exilij latebris; cuius nos pignora technis
Quottidie varijs vexat, nec nocte quieſcit.
Nec die ab inſidijs torpeſcit, fallere quærit,
Qui blando nequit ore trahi, nil vi facit abſque
AEterni regis nutu, nec quid valet abſque
Ipſius imperio, aduerſantem profugit hoſtem,
Vincit adulantem, pigrum, ſubditque volentem.

Tu Satanæ contemne dolos, Crucis vtere telo,
Atque precum iaculis, quoties tibi blandus inhæret;
Aut te dirus adit, mendax eſt, & pater eius.

ARGVMENTVM VITAE Tertiumdecimum.

NOvit pauper Eliſæus, quid rei Giezi cupidus à Naama Syro acceperat. Videt pauperrimus cœli trapezita ſudariola, quæ Virgines ſacræ in concionatoris monachi ſinum clanculo coniecerant.

TETRASTICHON.

CApta ſinu condit monachus ſudaria: Vates
Eminus agnoſcit, quo nimis ille rubet.
Arguit hunc ſanctus, veniam petit iſte, profuſis
Fletibus, ingenti culpa dolore perit.

VITA.

DEterius nihil eſt lingua; fortaßis eadem
Eſt aliquid melius? tetrum ſcatet vnde venenum,
Hinc mel diſtillat dulce: ò Dei honeſta iuuentus
Infrænate hymno linguas, vt corpora clatris.
Non graphium monacho, nec acum permittit haberi
Regula, ni paſtor conceſſerit vltro. voluntas
Cui non eſt, nec corpus, habebit frater in arcto
Occultas gremio mappas, & in ore cauillos?
Non ne oculis vidi? patulis non ne auribus hauſi,
Cum ſacra porrigeret virgo ſudaria? blandis

Cum vos liniret verbis? ò ſtulta cupido,
Abditis ecce ſinu prunas, & in ore venenum.
Grandia tranaſtis maria, ærataſqúe catenas
Fregiſtis, quid aquæ fugitis ſulcare lacunas?
Debile negligitis filum extruncare: paterna
Liquiſtis bona, cur lini vos faſce grauatis?

MORALE TERTIVMDECIMVM. ARGVMENTVM.

MONACHVS, qui dat, aut recipit aliquid contra ſuperiorum voluntatem, fur eſt, & latro, immo ſacrilegus, cum non habeat neque velle, neque nolle, & CHRISTI ſanguinem non rite diſpenſet, nec pauperum ſudores.

MVnus ſi quis agit monachorum, patre nuente,
Illud agat, nec acum, nec habet quid iure profeſſus
Paupertatis onus, quod fratri donet egenti
Abſque Patris voto, ſua cui eſt commiſſa voluntas.
Si dederit, fur eſt, & latro, non ſua donat,
Sed CHRISTI, atque inopum bona parta labore piorum,
Ac ſudore hominum, ſummo pietatis amore
Elargita Deo. longè minus audeat vllus,
Deſpecto legis præcepto, ſumere quicquam,
Frater, & ante oculos veri celare prophetæ.
Nam meminiſſe iuuat Giezi contagia lepræ,
Et laqueum Iudæ procul inſpectare profani.
Cuncta voluntati patris ſuppone benigni,
Si monachus cupis eſſe probatus, & eſſe ſacratæ
Religionis honore pater digniſſimus omni.
Haud minus erratur, dederis ſi munera, quàm ſi

Sum-

Sumpſeris abſque patris venia. tu velle dicaſti,
Sicut nolle Deo: nulla valet arte voluntas
Mutari CHRISTO deuota, animoqúe lubenti
Condonata ſemel, furtum facis, immo vocaris
Sacrilegus, nullo furti miſerante reatum.
Sicut Achor Hierico lapidum mactaberis imbre,
Qui flagrante domo tota cum prole ſub atra
Tartara coniectus, pœnas luit igne perenni.

ARGVMENTVM VITAE Quartumdecimum.

NOBILITATIS faſtu elatum iuuenem, religionis humilitate humillimus præceptor deiecit; tuncque diſcipulus extinctum prorſus ignem in ſuo cordis altari profeſſus eſt, cum charitatis lucem manu geſtare ante patrem dedignaretur.

TETRASTICHON.

STat puer accenſa face, murmurat ante magiſtrum
Mente alta, ipſe humili corde reprændit eum.
Quis ſum ego? quis verò hic, cui ſeruio? corde volutat.
Tu puer elatus, ſanctus hic, atque humilis.

VITA.

QVid, puer, elato meditaris corde? lucernam
Te ſufferre pudet rutilam, Patris ante benigni
Lumina? non lychnos dextra, ſed in ore facellas
Geſtares, ſi, quantus hic eſt ſuper æthera, noſſes.
En tua ſcrutatur præcordia clarius ipſo

Te

Te. depone facem, infælix, depone ſuperba
Mente ſupercilium, puer improbe, in æthere tantò
Altior es, quantò hic deiectior eſſe laboras.
Sola humilis virtus monachum ſuper aſtra coronat,
Quem vitij labes elatum in Tartara trudit.
Eſt humilis, quicumque Deo placet; eſſe ſuperbum
Nemo negat, ſatanæ qui alta ceruice miniſtrat.

MRALE QVARTVMDECIMVM.

ARGVMENTVM.

SVPERBIS Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam. Nihil eſt, quod magis confundat monachum, quàm ſuperbia; nihil verò quod eum magis exaltet, & ſuper æthera, quàm Humilitas.]

OBſigna, puer, obſigna tibi pectus, ephebe
Elate, inſignis, generoſe, illuſtris, & ante
Patris eremicolûm veſtigia lumen adapta.
Dedecet infantem Troiana ex ſtirpe profectum
Agreſti ſeruire homini, manibuſqúe tenellis
Suppeditare dapes, lychnos geſtare, falernum
Immiſcere merum lympha, detergere lotas
Linteolo palmas? ò nobilis, ò puer omni
Dedecore inſignis, ſumma ruditate, & inerti
Nobilis ingenio, quid dicam? ſtultior ipſa
Stultitia, ò quàm ignobilis, ò quàm vilis, & excors,
Cui ſeruis miſer? infælix, cui tale miniſtras
Obſequium? non ne ipſi CHRISTO, non ne ſalutis
Humanæ aſſertori? vera qui voce ſpopondit,

Si

Si qua meis vni ex minimis perparca dediſtis
Dona, mihi verè, & iuſtè decerno dediſſe
Cœleſti penſanda patrum mercede piorum.
Hi quamuis frigentis aquæ dent pocula egenis,
Atque parum obſequij præſtent pro nomine IESV,
Forſitan ex minimis vnum meditaris alumnum,
Atque tuum patrem BENEDICTVM? falleris, amens.
Nobilis eſt genere, & ſumma virtute, & odoro
Vitæ nomine nobilior, qui mira ſub aſtris
Signa gerit, quis ſit verò ſuper aſtra per horas
Terrigenis pandunt, te teſte, ac iudice viuo.
Turpis ab ore patrum iactantia ſanguinis, immo
Turpior in fratrum labijs. ab origine rerum
Ex vna radice omnes prodimus ab Adam,
Iuſta Dei ratio, ex quo omnis diuerſa poteſtas,
Et noſtra improbitas, aut virtus erigit illum,
Deprimit hunc; ſtabili variantur cuncta ſub aſtro:
Ipſe regit mundum, ſuperis qui præſidet oris.
Degener eſt, quicumque ſuum genus inficit atro
Crimine, nobilitat vitijs, deflorat honore.
Religione pares cuncti ſumus, vna capeſcit
Ianua nos penitus nudos, tituloqúe parentum
Nobilium caſſos; vbi, qui exemplaria faſsi
Mitis, & abiecti domini, ventoſa proterui
Elatiqúe Satan commenta ſequuntur, oberrant,
Et velut in præceps barathrum labuntur. in arcto
Gymnaſio dulcis rabbi, ſub humillimi IESV
Cænobio improbitatis opus dediſcitur omne,
Et probitatis iter, nec non virtutis honorem
Addiſces, vbi maior erit, qui ſe omnibus æquat,

Obſe-

Obſequitur patribus, fratrès reuèretur amore
Sincero, qui præclara virtute, & honeſtis
Moribus æquæuos præcellit in ordine cunctos,
Qui pius, & caſtus ſequitur veſtigia IESV,
Qui ſe humilem naſcens ſtabulo paſtoribus vltro,
Obtulit, atque magis, trunco qui ſtipite penſus
Se ſcribis humilem pandit: ſub marmore Ioſeph
Non ne humilis iacuit, totum qui temperat orbem?
His quid ais, frater prudens, generoſe, ſuperbe,
Elate? eſto humilis, miſer, eſto imitator IESV,
Cælicolûm regis, qui vſque ad ſpiramina vitæ
Mente humili, atque humili totum ſe corpore pro te
Obtulit æterno patri Crucis arbore tenſum.

ARGVMENTVM VITAE Quintumdecimum.

NIL CHRISTI paupertate ditius, nil mammonæ gaza miſerius. Helias farinæ hydrias viduæ auget, & viduæ, & eius filio diu ſuffecturam prædicit pauperibus. mercator autem CHRISTI IESV BENEDICTVS, ne fratres, penuria affecti, fame pereant, ducenta farinæ modia orationis talento mercatur; ac præ foribus cœnobij angelica manu delata diluculo reperit.

TETRASTICHON.

QVinque videns panes tantum penu ineſſe, querenteis
Solatur fratres ſpe meliore ſenex.
Præ foribus monachi, ò Dei amor, mane eſſe farinæ
Bis centum modios, ſupplice patre, vident.

VITA.

P*Aupertate emitur cœlum, terrena cruore*
Regna paras fluido, valida vi, diuite gaza.
Non potes hic regnare, & in æthere. Lazarus inter
Sidera præfulget, Diues cruciatur Auerno.
Copia quàm panum locuples, quàm lauta, & opima
Menſa, celer panes abaco Cellarius offert
Quinque, parum quid edant monachi, ne murmura
Prouidus hos lepido reficit ſolamine vates. (rodant.
Angelica qui aluit populum dape, amne profecto
Ex ſilice, hic ſuperûm, primo cum mane dieſcet,
Polline vos paſcet, diuina ò cura, farinæ.
Bis modios centum ante fores dabit autor Olympi:
Nil itaque oblatrent monachi, nil murmuris vnà
Alter in alterius ſummuſſent aure bilingues.
Semine frugiferas modico qui exauget ariſtas,
Oſtia cras cinget ſaccis vallata farinæ.

MORALE QVINTVMDECIMVM. ARGVMENTVM.

QVi maiores noſtros in deſerto pauit angelico pane, non permittit, eorum filios in clauſtris humano pane perire.

E*X ſquallente lacu Daniel ſuper æthera fundit*
Lachrymulas, circum circa in ſe expanſa leonum
Guttura proſpiciens; Abacuch cito, quod ſibi lautum
Coxerat, ò Dei amor, pulmentum geſſit ab oris

Vltro

Vltro parathonijs; Babylonis in arcta ſuperbæ
Clauſtra, ſuiſquè epulum paſtoribus ante paratum
Geſſit ab æthereo geſtus Gabriele capillis.
Vlcera dum teſta lambit ſanioſa benignus,
Vir iuſtus, ſimplex, rectus, miſer abſquè querela,
Iob plagoſus, humi fœda inter ſtercora ſupplex
Exorat Dominum, ſuccurrit ab æthere clemens
Mundi opifex Deus, actutum geminata rependit
Iob bona, tot mala iam perpeſſo, ditat opimis
Diuitijs, numero natorum, dæmone victo.
AEquore demerſus, cetiquè abſorptus atroci
Ore Ionas, exclamat ab aluo piſcis acuta
Voce, Deus mi, mi Deus Iſrael, alme Deorum,
Optime confer opem fugienti, te precor, ecce
Sum, quæcumque iubes, animo complere paratus.
Protinus, à trino proſpectus numine, & vno,
Ex rapido ceti vomitur liberrimus ore
Ad tumidi littus ponti, ſuper eius arena.
Nauſeat ob cæli rorem, ſtomachatur in eſcam
Cælicolûm ſoboles Abrahæ, atq; propago Iacobi,
Ollarum nidore memor, non allia, cæpas,
Atque pepones oblita in Pharaonis amaro
Seruitio: clamat Moſes dux plebis, oborto
Ad Dominum fletu, ſubitò numeroſa per æthram
Turma Coturnicum cingit fortiſſima Iudæ
Caſtra, adeò, vt ſi qui vellent, vtraque tenerent
Abſque errore manu volucreis ſecus ora volanteis.
Legifer hic noſter BENEDICTVS at aſpicit eſſe
Quinque modò panes monachis, ne murmur in arcto
Cænobio fieret, querulos ſolatus edenteis,

Ad mitem volucrũm altorem, pecorumqúe benignum
Paſtorem ſupplex properat, rem ex ordine promit,
Paupertatis opem lachrymis depoſcit amaris.
Mane ſerenato, ò mirum, videt ante ſacrati
Cœnobij limen bis centum vaſa farinæ.
Quiſquis in ærumnas fuerit dilapſus acerbas
Vitæ huius miſeræ, ac fragilis, mundiqúe procellis
Obrutus, aut telis Satanæ traiectus acutis,
Fiſus ad æthereum ſuſtollat lumina regem,
Et, quibus emoritur, denudet vulnera mentis,
Corporis, immo vtriuſque fleat miſer vlcera ſupplex.
Vota, preces, gemitus, lachrymas, ſuſpiria, voces
Offerat altiſonas Domino, mihi crede, leuamen
Sentiet è cœlo, mentis, vel corporis ingens.

ARGVMENTVM VITAE Sextumdecimum.

ABACVCH delaturus Danieli prandium, nec corporis grauedine depreſſus, nec carceris vecte abactus, in leonum lacum intruditur. nil mirum, ſi ſpiritualis homo, ac Deo plenus paſtor, nocte intempeſta, Anſur venit, & in ſomnis, vt pollicitus fuerat Abbati, monaſterium conſtruendum examuſſim depingit.

TETRASTICHON.

NOcte Abbas gelida, ſomno dum incumbitur alto,
Quo monachi fabricent ordine clauſtra, docet.
Nocte Satan memorat ſopitis ſpectra colonis,
Cur nequit hæc monachis vir memorare pius?

VITA.

ORE quod arguto diſtinxit corpore præſens,
Cœnobium ecce abſens vultu per inania pingit
Somnia Nurſinus faber, enotat atria cellis
Iuncta ſalutiferis, ſacram prius inſtruit ædem.
Somnia ne credas, inquit, quia vana, Ioſepho
Iudice vera puto, ſeu qui Pharaonis in aula
Interpres ſpectri fuit, aut qui virginis almæ
Ductor in AEgyptum Herodis ſeceſſit ob iram.
Vana puto, ſi vana tibi BENEDICTVS inerti
Peruigil aſſereret, dubitas ne grauedine carnis
Hoc fieri? aut leuitate ſua, qua ſpiritus egit?
Spiritu age immortalia, ſed mortalia carne.
Ocyus hoc tantò BENEDICTI ſpiritus almi
Effecit, quantò melius non carne, ſed ipſa
Mente opus oſtendit pura BENEDICTVS alumno,
Et, qua promiſit monachis, acceſſit in hora.

MORALE SEXTVMDECIMVM.
ARGVMENTVM.

VARIAE ſunt ſomniorum cauſæ, plerumq; Deus futura dormientibus per ſomnia reuelat, immittuntur ſæpe ſomnia à tenebrarum principe, ſæpiſſime ex corporis grauedine, vel ex ijs, quæ vigiles cogitauimus, phantaſmata in ſomnis commouentur.

SOmnia ſæpe hominum menti Deus indidit altæ.
Nocte ſoporifera Baltaſſar, & eius in auras

Elatus

Elatus Pater vltra hominem pecus inter agreſteis,
Syluicolaſque feras longè dementior omneis,
Senſu, inquam, non corpore brutum, ſomnia nocte
Viderunt intempeſta ſub imagine rerum,
Diuerſa, quorum, Daniele interprete, norunt
Senſus. quid verò mirum ſi paſtor in Anſur
Vrbe ſoporatus BENEDICTVM *cernit opaca*
Nocte ſibi in ſomno fabricam ſignare ſtruendi
Cœnobij? conſtat nurſino interprete factum.
Somnia ſi fuerint bona, ſunt à patre ſuperni
Luminis, exhilarant vigilanteis, tædia pellunt,
Et nimis oblectant homines memorata per horas.
Si mala ſunt, ſunt à tenebrarum principe, terrent,
Ac truculenta parant phantaſmata plena pauore,
Plenaque terrore, illecebroſa, petulca, ſuperba.
Te nunc Pontificem ſummum, nunc ſomnia regem
Te ſtatuunt magnum, quandoque videris agrorum
Cultor, & interdum turgentis nauita ponti
Naufragus, interdum victor petis ocia portus.
Sæpè puellarum choreis te ſomnia iungunt.
Sæpius à cane, ab vrſo inuaſus in arbore ſcando,
Ficedulaſque manu pinguenteis aucupor vna,
Atque alia conor teneras decerpere ficus,
Hinc ruo, diffugiunt volucres, fructuſque labaſcunt,
Ipſe meum lapidi impingo caput, oſſaque frango.
Somnia ne paueas, vt vana, & inania ſperne.
Ditior in ſomnis Cræſo locuplete videbor,
Pauperior Codro inuenior, mendicior Iro:
Scenobates, pollintor, alyptes, geſticulator
Eſſe aliquando ſomniat is, qui rex in eodem

Electus ſomno, tam equitum, quàm caſtra mouebat
Nunc peditum, ſtrictis regno dominatur habenis.
Somnia quis neget eſſe doloſa, quis horrida viſu?
Optima ſi quis habere exoptat ſomnia, quicquid
Cogitat, ante Dei vultum decernat acuto
Iudicio, nec ab ore vomet quandoque nefandum
Eloquium, nec opus peragat, quod lædat amici
Lumen, & id feciſſe pudet; nam ſæpe futura
Nocte ſuas ex his radices ſomnia carpunt.
Tu quibus occurres liber ſi veſpere flexus,
Et crucis armatus vexillo pectora, frontem;
Ora, Deo grates referas, quòd luce diei
Elapſa, ſua quæ eſt bonitas pia, te ſub amoris
Axilla protexit ab atra Dæmonis ira,
A fluxa carnis petulantia, ab arte doloſa
Mundi huius, ſic ora iterum, te nocte ſequenti
Protegat à Satanæ inſidijs, à carnis amara
Illecebra, noctemquê ſinat ſine crimine labi.
Cuſtodiquê tuo Gabrieli mandet ab alto,
Te, rutilante die, tueatur ab hoſte maligno.

ARGVMENTVM VITAE Decimumſeptimum.

DVABVS ſacris virginibus cuidam viro religioſo detrahentibus honeſtus pater ſub anathemate comminatus eſt. mira res, mirabilius anathematis ſacramentum. Cùm miſeræ virgines vita exceſſiſſent, & in ſacris eſſent tumulatæ, quoties CHRISTI hoſtia à Sacerdote eleuaretur, toties pauperculæ egrediebantur de tumulis ſuis. Quod cum venerabili patri relatum eſſet, ſtatim nutrici earum oblationem dedit, vt eam,

pro

pro earum requie immolari faceret Domino. quo piè, & religioſè effecto, virgines illæ nunquam ampliùs ex ipſorum ſepulchris exierunt.

TETRASTICHON.

EGrediuntur ab æde ſacra ſurgendo puellæ
E tumulis, CHRISTI *pane morantur ibi.*
Nil magis infrænat linguam, ac maledicta coërcet,
Quàm CHRISTI *panis, quàm cruor eius olens.*

VITA.

PRob vetulæ, paruo celerant cum munere Patrem
Viſere Nurſinum, ſiſtunt ſecus oſtia greſſus,
Dum ſapiens referat BENEDICTO *ianitor acrem,*
Quo cruciantur anus tremula ſub mente, dolorem.
Mercedem petit obſequium, benefacta perenneis,
Exquirunt grates, ratio parat æqua labori.
Præmia. proh pudor, antiquus probra ianitor atra
Audit ab ancillis merito pro munere ſacris.
Quo decet enitor ſtudio, mi paſtor, in huius
Commoda cœnobij, ſed anus me iuncta puellæ.
Garrula linguaci ſannis ſectatur amaris.
Eſt anus hydra mihi, iuuenis mihi ſæuior angue.
Miror, ait ſenior. lingua nil peius iniqua,
Si bona, nil melius, periti prænuncia cordis,
Qua ſuperos laudare licet, qua noſtra fateri
Crimina, qua gerras, & anileis ſpernere nugas.

Exiu-

Extumulantur humo moniales iure procaces,
Dum pius exclamat clamore Diaconus alto,
Exeat hinc, qui non communicat, vnde ſorores
Hæ nituntur eis requiem curare perennem.
His Pater horrendo minitans anathemate viuis,
Defunctas ſacro libamine ſiſtit in vrna,
Vipereis quæ praua ſtruunt conuicia linguis,
Enthea ſuſſannant verba, & pia geſta bilingues.
Mira Patris virtus, Patris celebranda poteſtas;
Linguaceis rigido monitat ſermone puellas,
Quas velut affectas anathemate prouomit à ſe
*Sarcophagus, ſacro requieſcunt corpore I*ESV.
*Nil mireris, homo, requiem quòd victima I*ESV
Virginibus tribuat, roſco ſi tetra cruore
Crimina deterſit proauis, ſpoliauit Auernum,
Atque patrum ſpolijs rutilum ditauit Olympum.

MORALE DECIMVMSEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

QVI non offenderit in lingua, hic perfectus eſt vir. Qui moderatur linguam, ſuam prudentiſſimus eſt.

Lingua licet membrum parua inter membra puſillum,
Labile, molle ſit, oſſa tamen fortiſſima frangit,
Opprobrijs lacerat, ſannis deridet, amicum

Sæpe ſuum peius, quàm inimicum, ſeminat inter
Fratres diſsidium, conuicia, iurgia, liteis,
Bella, niſi hanc fræno rationis, & arte ſagacis
Ingenij moderere, lupato ſtringe timoris
Diuini, flammiſque inferni ardentibus, arcta
Corripe ſub taciti cenſura gutturis acri.
Lingua quid infrænis det, eo, quod, Patre monente,
Virginibus ſucceſsit, habes, anathema minatur.
Non effulgurat antiſtes, tamen extumulatæ
Mox miſeræ ſacra diſcedunt æde, leuita
Myſtica dum populo depromit verba fideli.
Exeat hac, qui non communicat, æde profanus.
Tu modò non præcepta patris, ſed nuda paueſce
Verba, valet multum CHRISTI vice in æde præeſſe.
Qui vos audit, ait, me audit, qui deſpicit, inquit,
Vos, me deſpicit, exurendus ab igne flagrantis,
Ardentiſque gehennæ pulſus ab ætheris arce.

ALIVD MORALE DECIMVMSEPTIMVM.

De Triplici lingua, & de eius effectu, & moderamine, metro elegiaco perpulchrum.

Lingua bona eſt membrum cuncta inter membra, modeſtum,
Pacificum, verax, mite, fidele, pium:
Ipſa Deum laudat, benedicit, adorat, & audit,
Prædicat, extollit, placat, honorat, amat:
Conciliatque homines, quo feruet amore ſub vno
Fœdere, quo ſcandant æthera, pandit iter.
Lingua mala eſt membrum varia inter membra petulcum,
Belligerum, mendax, vile, rebelle, vagum.

Lingua

Lingua bona eſt, nihil eſſe puta præſtantius inter
Membra; mala eſt, nihil eſt turpius inter ea.
Illa tuum tollet corpus ſuper aſtra beatum,
Hæc tua tartareo membra ſub igne premet.
Veh duplici corde, aut homini veh, qui ore bilingui
Bella inter ciueis miſcet acerba ſuos.
Tertia lingua eſt, qua nihil eſt crudelius, vrbeis,
Oppida, rura, domos vaſtat, & æquat humo;
Scindit amicitias, odium cum lite propinat,
Irritat miteis ad probra, ad arma viros.
Omnis origo mali fuit, eſt, erit inter Adami,
Atque Euæ ſobolem, tertia lingua procax.
Filius hac patri inſidiatur, & hac vir in iram
Excitat vxorem, vir cadit, vxor obit:
Filia contemnit matrem, ſoror improba fratrem,
Et niger ingenuo verna repugnat hero.
Manat ab ore vno mel cum felle, heu pudor ingens,
Grande ſcelus, crimen nobile, turpe nefas.
Nunquid ab irriguo diſtillat fonte & amaræ,
Et perdulcis aquæ riuus in ora hominum?
Sermo opportunus melior, quàm gemma, vel aurum,
Importunus alit tædia, damna, iocos.
Omnis adulator, peſtis velut atra, fugetur
Abs te; virus enim nutrit in aure tua.
Verba ſuſurronum, placidas admiſſa per aureis,
Sirenum cantu deteriora putes.
Sit lepor in verbis; abſint mendacia, ſannæ,
Nugæ, & erunt verba hæc, ſaccara, mella, ſapæ.
Talis erit quiſquam, qualis (mihi crede) loquela
Eius, ab ore ſuo noſcitur omnis homo.

Non aliud fari poterit prænuncia cordis
Lingua, niſi quod ei cor dat, & ipſa capit.
Nouerit effari bene, qui bene nouerit ori.
Ponere fræna ſuo, qui mala verba, tacet.
Omnia ne dicas vni, ſed vt expedit, ore
Quemque pio refice, & more ſerentis age.
Obruitur ſemen, niſi ſparſeris omne per arua
Vndique, ſic ſparſum proficit in decuplum.
Quiſque loqui poterit, lima ſi verba poliuit,
Vt pietate ſonent, vt Dei amore flagrent.
Mutua ſuccendunt iram mala verba furentem,
Quæ lepido premitur famine, vt ignis aqua.
Dum fuerit ira, iraſcentis tu cede furori,
Fulgur enim eſt magna cum ditione furor.
Si quid habes, quod habere alios iuuet, offer aperto
Pectore, & ignaros, quod licet, vltro doce.
Garrule ſtulte ſile; ſileat blanditor, & omnis
Detractor, quorum lingua pudore caret.
Nam modicis ſapiens verbis cognoſcitur; amens
Cum fari aggreditur, quis ſit, ab ore ſcies.
Quæ quandoque oculis vidiſti, conde ſub imo
Pectore, ne moueas iurgia, & arma pares.
Siue loqui ſtudeas bona, ſiue tacere maligna,
Sæpe loqui nocuit, ſæpe tacere iuuat,
Simplex eſto columba, vt nullum fallere tentes,
Ne me aliquis fallat, prouidus anguis ero.
Fallere, ſeu falli ſcelus eſt commune fideli
Chriſticolæ, qui omnes debet amare pareis.
Os quicumque ſuum cuſtodit, opima ſub aſtris
Munera ſuſcipiet, ſed meliora ſuper.

Os prauum, lingua infrænis, labia vda veneno,
  Hic, & in inferno flagra cruenta luent.
Os gratum ſine blanditijs, ſine murmure lingua
  Gratior, abſque dolis labra, fluenta ſaui.
Dextera pennatis transfigit membra ſagittis,
  Lingua cruentatis conterit oſſa labris.
Lingua ſuper lata eſt, ſubter diſtenditur arcta,
  Vt ſermone Dei verba profana fuges.
Dulcia guttur amat, nares paſcuntur odore,
  Lingua dolos, nugas, murmura, probra colit.
Quæ bona ſi fuerit, nullum eſt in corpore membrum
  Dignius, ipſa homines laudat, honorat, amat.
Si fuerit chamo rationis recta, timore
  Excita diuino, nil tibi obeſſe valet.
Quæ tibi non proſunt, miſcere negotia noli,
  Quàm ſit in exiguo res tua cerne penu.
Proh facinus, quæ clauſa homini ſunt geſta fateri
  Mox vulgo, grauibus diſcutienda viris.
Si quis erit bonus, hunc commenda, ſi malus, ore
  Hunc hortare pio, ſit bonus, vnde malus:
Nam vitia alterius ſi ſuffers, mox tua fiunt,
  Redde bono laudes, compatiare malo.
Dulcia ſi ſtomacho propinas vina, propinas
  Percula grata ori, lingua quid atra vomit?
Turpia non tantum auditu, quàm fœtida ſenſu,
  Verba referta dolis, & truculenta minis.
Lingua ferox, lingua humano ſpoliata decore;
  Lingua canis morſu, dignaqúe dente lupi:
Nuncia ſi cordis facta es, cur nuncia praui
  Es verbi potius, quàm boni? iniqua ſile.

Eſt index animi ſermo, ſi vera, pudica,
Recta, & honeſta refert, aure tu vtraq; cape:
Si mala, falſa, inhoneſta, procacia, blanda, doloſa
Nunciat, aure audi ſurda, inhibendo fidem.
Lauda hominem parcè, in nullum conuicia prome,
Ne tua denudet crimina læſus homo:
Quæ iacis in lapidem tela, in te ſæpe retorques,
Tequé feris, alium non feriendo virum.
Auribus vtaris potius, quàm lingua in aperto
Concilio, in cauſis pauca loquare tuis;
Pauca loquare tuis in cauſis, iuſta, & honeſta,
Quæ grauitate ſimul cum ratione micent.
Scito ſenum eſſe loqui, teneramqúe docere iuuentam,
Quam decet à cunis diſcere dicta ſenum.
Sæpe loqui nocuit, nuſquam tacuiſſe pigebit,
Ergo ſile, aut dic tu bona, recta, pia.
Vt pluuias Aquilo exturbat, ſic murmura, ſannas,
Nugaſqúe irato vultu, & atroce fuga.
Tu quoties alios alium deludere cernis,
Siue iuuare illum, ſiue tacere velis.
Si quid habere optas ſecretum, dicito nulli;
Si dices, pueri mane per arua canent.
Si qua alijs vltro promittis, ſolue libenter
Debita, præ cunctis rebus habeto fidem:
Nam quicumque fidem perdit, nil poſſidet vltra
Quod perdat melius, quod ſit honore prius:
Soluere quod nequeas noli promittere, ſtandum eſt
Promiſſis, auro fac tua verba magis:
Eſt ſcriptura fides valida, & mens conſcia teſtes
Mille, animus iudex, redde, quod iſta probant:

Non

Non habeas aureis, neque linguam in plebe procaceis.
Moribus in populo corripe vtraſq; pijs.
Si forte in te iactantur conuicia, mutis
Pertranſi labijs, ſi ſupereſſe velis:
Dum canis oblatrat tacitò, nihil ore mineris,
Si cupis hunc querula voce ſilere ſua:
Haud probra vincuntur probris, patientia vincit
Omnia; non oleo, ſed perit ignis aqua.
Ferrum ferro acues, clauus protruditur ictu
Alterius claui, probra tacendo lues.
Omnis enim perfectus erit vir, & vnus in orbe,
Si placido linguam rexerit ore trucem:
Eſt generoſus homo, duci magis optat amore,
Quàm feritate trahi, conditus orbis herus.
Fronde ouis allicitur viridi, bos fune domatur.
Blanditijs, vt equus, flectitur aſper homo:
Bubalus attrahitur nare, vt per cornua taurus:
Linguæ humilis filo ducitur altus homo.
Omnis origo mali (mihi crede) eſt tertia lingua,
Triplice ni fræno tu modereris eam.
Nobilis eſt animi tacita contemnere lingua
Contemni, ſannas ſpernere, damna pati.
Magnanimus ſi aliquis fuerit, quis obeſſe parumper
Audet ei? qui omneis placat amando viros?
Sponte reo indulget, cum vlciſci poſſe videtur,
Vindictam cenſet, parcere velle reo:
Gloria grandis erit læſo, victoria maior
Hoſti ſi proſit, lædere quem potuit.
Lingua Deo pſallat, ſuperos benedicat in orbe,
Et ſuper orbe homines laudet, honoret, amet.

QVAR-

QVARTI VOLVMINIS VITAE D. BENEDICTI ABBATIS.

COMPENDIVM.

EXILIT ex vrna defunctus in æde parentum
Frater, & accepto ſacro, veſtigia ſiſtit.
Cœnobium fugitat monachus, videt ore triſauci
Angue ſub atroci ſatanam, redit impiger illuc.
Corripitur morbo iuuenis ſordente, precatu
Præſulis, vt Naman vatis prece, mundus inhæret.
Dans inopi nummos, olei BENEDICTVS *ab aula*
Deiectat phialam, vacuumqúe repenſat oliuo
Doliolum viridi; medici ſub imagine tetrum
Increpitat Satanam, monachum quoque ſoluit ab
Ipſius aggreſſu, Zallam monet eſſe benignum (atro
Erga inopes, viſu truncato fune coloni.
Excitat exanimem puerum, redditqúe parenti
Incolumem, Moſi veteris phylateria legis,
Atque nouæ, intexens CHRISTI *paradoxa ſub imo*
Indice vera canit monachi exemplaria vitæ.
Deſtinat ad Gallos Maurum, tranſmittit in oras
Trinacriæ Placidum, celſa ſub turre ſorori

Se Pater adiungit; Scholaſtica, fratre negante
Nocte morari vna, lachrymis perfunditur, imbreis
Elicit, ac ventos, tonitrus, fulgetra, ſagittas,
Impetrat, & cœlo inuitum tenet auſpice fratrem;
Poſt tridium innixus ſpeculæ ſuper aſtra ſororis
Ire animam cernit BENEDICTVS *more columbæ,*
Fratribus vnde iubet corpus deferre Caſino;
Sub ſolis radio collectum proſpicit orbem,
Ac Germani animam rutilante ſub igne tuetur
Angelicis deferri vlnis ſuper æthera claram:
Quæ fuerat ſtulta, egreditur muliercula prudens
Ex patris rupe. extremam dum funeris horam
Affore proſpectat BENEDICTVS, *in æde Ioannis*
O quàm deuotè fratrum inter brachia ſpirat.

VITÆ BEATISSIMI BENEDICTI MONACHORVM PATRIARCHÆ SANCTISSIMI,

A.R.P.D. Angelo Sangrino Caſinenſi Abbate, tum ſoluta oratione, tum vario metri genere emodulatæ,

VOLVMEN QVARTVM.

ARGVMENTVM PRIMVM in primum vitæ articulum.

POSITO ſuper monachi cadauere ſacroſancto CHRISTI corpore, cadauer illud non euomitur amplius ex humo, ſed ſacramenti virtute, Patriſque prece humi quietum, & ſtabile requieſcit.

TETRASTICHON.

INterit ad vomitum rediens vir amore parentum,
Quem vomit vrna, ſacro pane quieſcit ibi:
Qui redit ad CHRISTVM, CHRISTVS *complectitur vlnis,*
Non fugat, effuſo ſanguine paſcit eum.

VITA.

Excutit à ceruice iugum, vt ſus ſordida, cœno
Nititur inuolui, clauſtrum fugit, ima parentum
Tecta ſubit monachus, tenero ſic paruulus æuo,
Vt minor ingenio, mundum præponit eremo.
Vindice quem cœlo rapida mors fauce voratum
Tartareo immerſit pelago, tumulatus ab vda
Extumulatur humo, clauſtrum qui liquit amœnum
Abſque Patris venia, genitricis amore coactus.
Hæc dum res agitur, celerant poſt fata parentes
Profuſi lachrymis, Nurſino cuncta retexunt.
Ille ſacrum CHRISTI *corpus ſuper eius apertum*
Apponi pectus iubet, vt requieſcat in vrna.

MORALE PRIMVM.
ARGVMENTVM.

SINITE mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu autem ſequere me, dicit Dominus; Qui diligit patrem, aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus.

QVI patris affectu trahitur, genitricis amore
Allicitur nimio, caueat, ne terga parenti
Omnigenûm vertat, terræ, maris, atque polorum,
AEterno Regi præponat vtrumque caducum,

Mortalem

Mortalem, miſerum, fragilem, ſub imagine fumi,
Vmbræ, ſeu bullæ emigrantem mortis in atrum
Guttur, & in fauceis Satanæ bacchantis apertas.
O' quot amore parentum dimiſere cucullum,
Cœnobium liquere, iugum ſuaue, & leue pondus
(eruice excuſſere ſua, quos mundus abhorret,
Quos C H R I S T I *nutu domus effugat ampla parentum*
Fœdi fragi, infœlices ſunt, vt apoſtatæ iniqui.
Hi ſibi ſunt odio, mundi deriſio, amicis
Fabula, ridiculum monachis, deforme propinquis
Spectaculum: melius fuerat (mihi credite) ceptum
Religionis iter nunquam carpſiſſe, quàm ab illo
Digreſſus quis iter Satanæ, faſtigia ſecli,
Illecebras carnis ſectetur fronte fricata.
Iam meminiſſe iuuat C H R I S T I *ſermonis, & eius*
Conſilij, quo inquit, mea qui veſtigia gliſcit
Sectari, amplexa primùm Cruce, cum patre matrem
Dimittat, quia qui patrem cum matre veretur
Plus, quàm me, non eſt me dignus, & inquit ephebo
Intumulare patrem cupienti, corpora linque
Mortua defunctis ſepelire affinibus, vltro
Tu me imitare, pari greſſu, Crucis arma capeſcens.
Infœlix quicumque Dei detractat honeſtam
Militiam, terris viuit mendicus, & æger,
Atque miſer, vel ab enſe, vel atro fulgure nectus,
Tartareiſque vſtus flammis, vlulabit in æuum.

ARGVMENTVM VITAE Secundum.

DESERENTI clauſtra monacho teterrimus Draco apertis faucibus occurrit, quem præpete curſu in clauſtra præ timore

more redeuntem paſtor bonus læto vultu æquè excipit,atque agnum à lupi dentibus fugientem.

TETRASTICHON.

Clauſtra puer fugiens Satanæ ſub pelle Draconis
Obuiat, ac tremulo in clauſtra pauore redit.
Sæpè, quod exhorret, repetit celer agnus ouile;
Non canis officio, ſed feritate lupi.

VITA.

QVO ruis, ò profuge? an fœdam, canis inſtar, orexin
Appetis? an Sodomæ ſuſpiras cernere flammas?
Stiua premit dextram? Quid aratrum ſpernis? aperto
Glutiet ore draco te, ab Olympo extrudet in orcum.
Vt leo magnanimus, bello graſſatur iniquo
Dæmon, & arguti inſidiatur more draconis.
Lubricus ò quantum eſt anguis, niſi vertice trunco
Aduerſeris ei, totus per viſcera ſerpit.
Corripitur, quicunq; caput non atterit hydræ,
Nec ſequitur patris rudimenta. en, quem trahit extra
Clauſtra, vorare hoſtis ſtudet ore trifauci:
Hic velut agnus adit caulam, inſectante dracone.

MORALE SECVNDVM.
ARGVMENTVM.

IN hoc totus incumbit Dæmon, vt monachus patri ſuo abſcondat cogitationes ſuas. infrænat enim eum, vt ſeſſor equum, ad currendum, ad ſaltandum, ad omnia, quæcunque voluerit, dirigendum.

Impius

IMpius ecce fugit, nullo inſectante, relinquit
Cænobium, à nullo tractus, niſi praua, & iniqua
Improbitate ſua pulſus, patris abſque diſerti
Conſilio, fugitat perſuaſus Dæmonis aſtu,
Quem propè cænobij limen videt ore patenti
Poſtibus innixum tetri ſub pelle draconis.
O miſer, experti patris rudimenta perhorres,
Et celeri Satanæ ſequeris veſtigia greſſu?
Officit ò quantum puero celare magiſtro
Dæmonis inſidias, oblectamenta fouere
Carnis, & illecebras mundi perquirere vanas.
Nil magis inſidiator amat, quàm claudere aheno
Vecte os diſcipuli, ne experto aliquando magiſtro
Denudet cordis curas, & ab hoſte doloſo
Infuſas, & ab obſcenæ prurigine carnis
Allectas, vt equum ſeſſor calcaribus vrget,
Frænato ore lupato, homines ſic impius hoſtis
Occluſis labijs agitat, quocunque libebit.
Tu, quibus opprimitur pectus, faſtidia, curas,
Tentamenta patri fateare, & ab ore venenum
Euome lethiferum, propinante hoſte maligno,
Illecebra carnis, mundiqúe fauore doloſi.
Totus in hoc vigila, ne ater caput anguis in imo
Corde tuo figat, quod ſi defixerit, omne
Corpus ibi trahit, & retrahi nequit abſque labore.
Tu caput extrunca anguis cum Crucis enſe, ſagittis
Atque precum iaculis, technas illius honeſto,
Expertoque patri pura mox mente reuela,
Non duplici corde, aut fucatis dicito verbis;
Cor ita ei reſerare velis, vt cum tua cernit

Lumina, cor totum videat, vel ſi quid in eius
Occulitur latebris, agnoſcat non minus ipſo
Corde, ſciat, quot verba ſpuit, quot perficit acta
Quottidie, quot agit veſtigia ſic die, vt atra
Nocte patri numeret phantaſmata fido.
Verus hic eſt monachus, mala qui tutus vtraque
Dormiet, alterius tergo, quem forte gerebat,
Impoſuit faſcem, vitam ſub patris honeſta
Cenſura tranſegit humi, ſuper æthera victor
Euadet triplici redimitus tempora ſerto.
Nam pater (vt fas eſt) rationem reddet in hora
Iudicij extremi pro illo, quem rexit alumnum
Ante Dei Vnigenam, ante ſenatum vtriuſq; polorum
Cardinis, ante hominum cœtus, coramquę malignis
Spiritibus, tunc liber erit, quicunq; lubenti
Hæc animo feciſſe audit, teſtante Magiſtro.

ARGVMENTVM VITAE Tertium.

NON herbarum ſucco, nec aromatum ſpecie iuuenem Elephantino affectum morbo, noſter ſanctiſſimus medicus incolumem reddit, ſed lachrymarum collirio, atq; orationis antidoto.

TETRASTICHON.

PAruulus ante patris plorat veſtigia fractus
Morbo elephantino, Patre precante, valet.
Nulla adeò eſt truculenta lues, vt ſupplice voto,
Ac prece lugubri non queat eſſe procul.

VITA.

Labe elephantina toto iam corpore ſordet
Paruulus, ante patris veſtigia liber acerbo
Abſcedit morbo, flaueſcit purior auro,
Ac nitido longè vitro expurgatior albet.
Omnibus auxilio eſt, humili ſi corde rogetur
Cœli opifex, mundi fabricator, & æquoris alti
Conditor, ò mirum, nitido pater ore precatur,
Et tabo puer abſterſo, fit, vt alba columba.
Qui prius horrendo putebat odore per auras,
Vt floreta, eius redolent coma, guttur, & artus.
Carne puer fragrans, anima magé ſpirat odore,
Mille patri grates habito pro munere ſoluit.

MORALE TERTIVM.
ARGVMENTVM.

HOMO natus ex muliere repletur multis miſerijs, & nunquam in eodem ſtatu permanet, niſi in eo innitatur, qui eum creauit, & redemit ſanguine ſuo.

Quàm ſit homo miſer, & quàm æger ſit matris ab aluo,
Quos ſubit à cunis, morbi teſtantur acerbi,
Et varij, ſordente parentum labe profecti.
O patris ingluuies, ò matris amara voluptas,
Nos quibus inficimur, tam anima, quàm corpore nati,
Concepti, immo prius ſub eorum ſeminis æſtu.
Hinc citharœdus ait Dauid rex voce ſonora,
Et querula, en conceptus ego ſum labe profuſus,

Et mea me genitrix peperit cum ſorde reatus.
Obrutus illuuie cœni Iob à capite vſque
Ad calcem, plagis lacerus, ſucclamat, oborto
Fletu, Homo, quem mulier gignit, ſub tempore viuit
Exiguo, ærumnis varijs obnoxius, æquè
Floſculus egreditur, fugitat velut umbra, in eodem
Ecce gradu nunquam perſiſtit, ſoſpite vita.
Morbida vita hominum: progreſſus ad impia mortis
Brachia, militiæ pugna, & cum carne duellum
Eſt animæ dirum, nec enim; quod ſpiritus optat,
Vult caro, ſed contra; ſuſpirat ineſſe ſupernis
Spiritus, ima caro deſiderat ocia, luxum,
Diuitias, pompam, præludia; gaudia, faſtus.
Hinc præco CHRISTI Paulus, Crucis armiger inquit,
Infælix ego homo, quis ab hoc me corpore mortis
Aſſeret? haud, quod ego volo rectum, ſed, quod ego odi,
Perficio prauum, delector lege Dei intus
Ex anima, ſed ab obſcenæ, petulantis, auaræ
Carnis iniqua lege allectus ad eius amarum
Obſequium trahor inuitus, miſer abſq; ſuperni
Numinis auxilio coniector in ora gehennæ.
Tu modò non tantum carnis contagia quæras
Tergere, quantum animæ morbum, quo corporis oſſa
Elanguent; vnius Adæ culpa omnis ab aluo
Matris homo exoritur miſer, & mortalis, & æger.
Nam Patris æterni Verbum ſub imagine primi
Peccatoris Adæ verſans cum prole Iacobi
Antè animæ morbum ſoluit, quàm corporis artus
Reddidit incolumeis, veluti ſacra pagina cantat.

ARGV-

ARGVMENTVM VITAE Quartum.

QVENDAM virum egregium alieno ære grauatum trapezita, Theſaurariuſque cœli BENEDICTVS eo amoris affectu abſoluit, quo pecuniam meretur diuinitus inuenire.

TETRASTICHON.

QVos debet ſolidos grato perſoluit amico
Pauper, agente illi munera digna ſene.
Non marrha, non enſe pater lucratur egenti
Poſt biduum nummos, ſed locuplete prece.

VITA.

DIues erat virtute heros, pauperrimus inter
Nobilium proceres, duodena ſub æra ligatus;
Hic venit ad CHRISTI *campſorem, fletibus ora*
Irrorat, quo eget argentum, præponit amico.
Quem pater afflictum cernens ſolatur, & omneis,
Quos debebat hero, ſolidos ſine fœnore ſumptos
De locuplete poli theſauro ſoluit egenti
Poſt biduum, nec non alium pro ſumptibus addit.
Ridiculos quandoque viros facit indiga rerum
Paupertas, ſed amore Dei complexa opulentos
Mox homines reddit. quid ei vſquam defuit? alti
Eſt cœli domina, eſt theſauri clauigera orbis:

MORALE QVARTVM.

ARGVMENTVM.

SVPERBIS Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam. Qui ſe humiliat, exaltabitur; &, qui ſe exaltat, humiliabitur.

DEprimit elatos, humileis ſuper auia cœli
Culmina ſuſtollit mundi moderator, & autor
Omnigenûm CHRISTVS, *Sapientia Patris, & ante,*
Et poſt ſecula cunctipotens, benedicta MARIAE
Virginis intactæ ſoboles, pro noſtro, & auorum
Crimine ſic nata in ſtabulo, vt Crucis arbore clauis
Suffixa æratis dependet mortua, prono
Vertice, ſpinata fronte, haſta pectore foſſo,
Traiectis ferro pedibus, manibusqúe foratis
Complexura humileis, geminata datura miſellis
Oſcula chriſticolis, expectatura grauatos
Flagitijs, vt onus ſcelerum, quo ſpectat amore,
Deponant, & ad ipſius conuertantur aperta
Brachia, tranſfixum ſugant latus, vnde ſalubris
Sanguinis vnda fluit laticis commixta liquore,
Sanguinis, vt pretio redimamur ab hoſtis iniqui
Seruitio, vt laticis riuo contagia carnis,
Atq; animæ labem tergamus ſoſpite vita.
Hæc humilis virtus, virtutum mater, alumna,
Et cuſtos, qua quiſque ſibi vileſcit, & ante
AEternum regem tantò præcelſior ardet,
Quantò illius amore nitet deiectior, atque
Inter mortaleis longè deſpectior omneis.
Hanc Patris ingeniti vnigena, æternaleqúe verbum
Ex ſtellante polo elapſum per virginis aluum,

Sub peccatoris facie, ſub imagine ſerui
Factus homo mortalis, qui prius ante coruſcos
Cæluolas nitet immortalis, in huius opacis
Exilij latebris vſq; ad Crucis, ac necis aram
Dilexit, cuſtodiuit, protexit, amauit,
Sectanteiſque illam palma viridante coronat,
Et prope ſe locat, angelicoqúe extollit honore.
Clamitat è terris cæli regina MARIA.
Intemerata Dei genitrix, & humillima virgo;
En Domini ancilla, ò Gabriel, mihi fiat, vt ipſe
Depromis verbum. quo dicto, concipit alma
Primigenam regis ſuperûm, maris, ætheris, orbis
Artificem culpa moriturum patris Adami,
Et noſtro eiuſdem natorum crimine natum.
Grande Dei numen mirans Abrahamus, & amplam
Ingentemqúe ſuam ruditatem clamat ab imo
Corde, humili voce ad Dominum, cinis ecce ſum, & ater
Puluis ego, qua fronte ad te loquar, ò Deus autor
Oris, & eloquij, æterne, immortalis, olympi,
Tellur iſqúe opifex, cuius ſunt omnia verbo
Facta, ornata, atque in ſe diſtincta adamuſſim.
Hinc meritò ſpondetur ei, velut ætheris aſtra,
Stirps tua erit, nùmero maris inſtar arenæ,
Inqúe tuo cunctas benedicam ſemine genteis,
Quæ citra, vltraq; oceanum prope littora degunt.
Vermis, ait Dauid, ſum, non homo, fabula plebis,
Opprobriumqúe hominum, deriſio pubis,
Attamem aure hauſit patula, de ventris, & alui
Effragrante tui fructu ſuper omnia regnum,
Atque tuum ſolium ponam ditione perenni.

Eſto humilis, quicumq; cupis ſuper æthera tolli;
Nam Deus elatos ſternit, ſubſannat, & odit,
Nec ſua terrigenis largitur dona ſuperbis.

ARGVMENTVM VITAE Quintum.

SECTATOR CHRISTI BENEDICTVS iuuenem varietate cutis, quaſi lepræ contagione profuſum, non, vt Eliſæus Iordanis aqua leproſum expurgauit Naaman, emundat; verum ſummo manus tactu, tam facilè illum candidat, quàm magiſtri ſui IESV morem deuotè ſectatur.

TETRASTICHON.

LVrida vir libans aconita ex vertice plantas
Vſque ſcatet lepra, qua prece Patris abit.
Nulla magis medicina iuuat, quàm oratio pura,
Tum melior, lachrymis ſi madefacta roget.

VITA.

SCindere, liuor edax, tuquè, inſidioſa cupido,
Rumpere: cur frixis feruent aconita rubetis?
A crine ad crinem lepra caluesſcit ephebus,
Proh pudor, à viru cum non ſit atroce peremptus.
Tangitur, ò Naaman ſyre, tangitur hic patris almi
Contactu, & morbo, velut anguis pelle, nouatur.
Tu Iordanis aqua perfunderis, vnde niteſcunt
AEthiopes, vt olor, Pardus cute diſcolor albet.
O feritas hominum truculenta, ò ſæua voluntas;
Quæque ſuas mulcent ſpecies animalia, ſolus

Eſt

Eſt homini lupus alter homo, quem ex ordine rerum
Grata Deum natura homini fore iuſsit amicum.

MORALE QVINTVM.
ARGVMENTVM.

NVLLVM eſt adeò facinoroſum crimen, quod CHRISTI ſanguine non diluatur. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicit.

Lepra velut corpus temerat, ſic crimina totam
Inficiunt animam, cuius contagio IESV
Sanguine diluitur, non hirci rore cruoris,
Aut cinere exuſtæ vitulæ, aut genitoris aquarum
Oceani fluctu, totum fluitante per orbem.
Hic CRISTI cruor eſt adeò ſacer, ac pretioſus,
Vt minima ipſius ſtilla ex æuo omnia patrum
Flagitia, ac noſtrum crimen detergat in æuum.
Tu, quoties peccaſſe doles, conuertere ſupplex
Ad Dominum, diro ſuffixum ſtipite, fuſis
Exclama lachrymis, miſerere mei, miſerere,
Spes peccatorum certa, ac lux fulgida cæci,
CHRISTE Dei Patris ſoboles, ſobolesq́ue Mariæ
Virginis intactæ, ex lateris diffunde cauerna
Exiguam làticis guttam, minimamq́ue cruoris
Diuini ſtillam, vel vtraque ex palma, & vtroque
Ex pede, dulcis IESV humanæ prolis amator,
Antidotum, quibus efficiam aut collyria mixtis;
Vt mea perſpicuis obtutibus vlcera carnis,
Atque animæ cernens medico catablaſmate curem:
Et tua, dum viuo, deplorem vulnera fletus
Profluuio contriti animi, mentiſq́ue dolore.

ARGV-

ARGVMENTVM VITAE Sextum.

PAVPERI oleum petenti, CHRISTI diſpenſator ſangui nis BENEDICTVS Cellerario protinus iubet illud elargiri, quo minimè elargito, præcipit ſibi phialam olei deportari, quam manu aſſumptam ex cellæ ſpecula foras deiecit; vnde nec phiala frangitur, nec olei ſtillula effunditur, & ad auaritiæ pudorem, & largitatis gloriam, exhauſtum olei dolium oratione, ac ſi alter Helyas, expleuit vſq; ad effuſionem liquoris.

TETRASTICHON.

VAS iacit ex ſpecula ſanctus, nec fundit oliuum,
Nec vitrum frangit, petra quod icta capit.
Larga facit, quod auara nequit manus, implet oliuo
Dolia pro phiala ſanctus oliuifera.

VITA.

OBſequium ſuperis gratum immortalibus, immo
Perquàm terrigenis placidum mortalibus, omni
Si cura, ſtudio, feruore fidelis obedit
Seruus hero, ſi præceptorem auſcultat alumnus.
Quam Monachus ſeruat phialam, deiectat ab alto
In lapides paſtor, lapidum nec frangitur ictu
Fictile vas, bibulam nec humum rigat vnda liquoris.
Tunc oleum Præſul tribui iubet omne petenti,
Hinc prece pro phiala vacuum Pater implet oliuo
Doliolum nitido, monachum monet ore benigno

Igna-

Ignarum, ſperare docet ſuper æthera quicquid
Terra negat, nec auaritiæ ſuccendier igne.

MORALE SEXTVM.
ARGVMENTVM.

CVPIDITAS eſt radix omnium malorum, & auaritia eſt idolorum ſeruitus. Auaro tam deeſt, quod habet, quàm, quod non habet; viuit pauper, vt moriatur diues.

QVO magis Hydropicus bibit, hoc minus obruit æſtum,
Ardoremq́ue ſitis, ſuper ignem iactat oliuum;
Sicca per arua trahit, riuos fluitantis aquarum
Amnis, & accenſis fundit fomenta lucernis.
Febris auaritiæ nulla medicaminis arte,
Ni paupertate, ærumnis, & morte fugatur.
Latius hoc cumulantur opes, quo effræna cupido
Amplius efflagrat cumulare: laborat auarus
Pauperie ingenti; viuit mendicus, & æger,
Vt diues moriatur, & abſq; hæredis honore,
Immemor illius, quod ait ſapientia patris
Aeterni, verbum noſtræ ſub carnis amictu,
Conuerſans inter mortaleis, inquit auaro
Delitiari auido, cupienti viuere vitam
Sardanapali, vitam exercere ſuinam,
Atque epicurorum genio indulgere petulco,
Stulte, hac nocte tuus rapietur ſpiritus, & quæ
Seruaſti, dic, cuius erunt bona parta labore,
Fœnore, fraude, ioco, ſudore, algore, rapina;
Per fas, atque nefas, vel equo, vel naue parata?
Nam bene ſeruaſſes, inopum ſi ſparſa cateruis

Theſaurizaſſes cælo pietatis amore.
Hic, vbi non tineæ, non ærugo, neq; fures
Erodunt, dimolitur, furantur in hora.
Nunc, cui dimittas, neſcis: mihi credito vati,
Tertius acquiret fortè hæres, aduena, demens,
Prodigus expendet conuiuas inter edaceis,
Fœda inter ſcorta, ac luſores inter interteis.
Frater auaritiæ morbo confectus olivi
Abſcondit phialam, largo diffiſus olympi
Principis auxilio, donum pietatis egeno
Denegat, ac mitis contemnit iuſſa magiſtri.
Infælix homo, pauperior Dei amore, & honore
Cænobij quocumq; inope, & quocumq; ſuprema
Pauperie fracto, miſer, & miſerabilis, omni
Mendico mendicior, omni paupere multò
Pauperior, ſacro pietatis munere priuus,
Sacrilegus, quod habere inopem vult paſtor oliuum,
Abdis auare, miſer, crudelis, inique, rebellis,
Frater humi condis, quod in æthere tutius eſſet
Condendum, mirare patris memorabile factum.
Proijcit ex alto phialam ſuper aſpera montis
Saxa, nec effringit phialam, nec ſpargit oliuum,
Non permittit in æde ſacra, quod auara cupido
Abſque Patris nutu cuſtodit, & abſque fauore.
Hinc prece pro phiala magnum vas implet oliuo.
Exemplum quàm nobile, ſi quod habere fidelis
Vult monachus, nihil abſq; Patris Cruce ſumat ab vllo,
Aut vlli tribuat, proprium, velut acre venenum
Horreat. hic rebus conceſſis vtitur vſu
Incerto, non proprietatis nomine quicquam

Poſſidet,

Poſſidet, aut fruitur, cui cum ſit vbiq; voluntas
Sic deuota voluntati Patris, vt ſibi nuſquam
Velle ſit, aut nolle, ex Patre totus pendeat, immo
Ex eius voto ſua temperet acta per horas.
Quicquid habet monachus, Patris vice ſeruet ad eius
Arbitrium monachis commune; quod abſq; rigore
Regulæ, & abſque Patris nutu tenet, inſtar auari,
Sacrilegi, prædonis atrocis, & impij, & atri,
Vt furtum, prædam, atq; rapinam celat honeſto
Paſtori, ſuper hoc Satanæ collega talento
Inſidit plumbi, theſaurum ſeruat iniquus
Dæmon. Quicquid habet monachus, quod ſeruet auara
Mente, animo cupido, arcta palma, corde tenaci,
Extrahat à cella, vt furtum, detrudat ab alta
Mox ſpecula, ne inſtar Schariotis ab igne cremetur
Tartareo, mortis pœnas ſine fine daturus,
Aut, vt Achan, lapidum tumuletur grandine in orco.

ARGVMENTVM VITAE Septimum.

INSIDIATOR pacis, odijque ſuggeſtor Diabolus, cui nomina mille, milleque nocendi artes ſunt, ſeniorem patrem ex puteo laticem laborioſè haurientem inopinè inuadit, quem Dei miniſter vt vidit, alapa percutiens, ab eo, ac ſi percuſſum eminus hoſtem, in Tartara profligauit.

TETRASTICHON.

DAEmona dum ſanctus medici ſub imagine cernit
Succinctum phialis, quo meat, vltro petit:
Hic ait, ad fratres meo, tunc fratrem arripit vnum,
Vnde Patris diro verbere pulſus abit.

VITA.

HEus quò, pharmacopola, ruis? Podalyrius es tu?
An Pæon? vel opis medicæ moderator Apollo?
Ad fratres propero, cuicunq; daturus aroma,
Quo ſtudeant nugis, fugiant diuina per horas
Officia, exacuant odia, inſidientur amori.
Nomina mille mihi, vt technæ mille nocendi,
Quot phialas geſto, tot aromata cuiq; propino.
Haurit aquam ſenior, compotus hypocriſis vrna,
Pixide ſeu faſtus, cadit ecce mea arte ſuperbus.
Quo pater admiſſo, liquidum per inane furentem
Proſpexit medicum, putei ſecus ora profundi
Aſpicit inuaſum cruciari Dæmone fratrem,
Quem feriens alapa, Satanam protruſit atrocem.

MORALE SEPTIMVM.
ARGVMENTVM.

QVID præcelſius humilitate? quæ non ſolum Deum ſibi reddit gratificum, verùm etiam omnia Dæmonum bella debellat, & Angelorum laurea coronatur.

DVM per inane videt piceum tot retia tendi,
Tot Satanæ laqueos expandi cultor eremi,
Clamitat ad Dominum ſupplex Antonius, ò mi
CHRISTE benigne, redemptor humi, inſtaurator olympi,
Omnigenûm princeps, quis erit, qui millia mille,
Ac tercentena, inquam, millia tam pedicarum,
Quàm manicarum euadet? vox clamoſa per æthram

Tunc reboat, virtus humilis, qua ianua cæli
Clauſa aperitur, apertaqúe auerni limina tetri
Carceris ærato clauduntur vecte per æuum.
Ira deſæuit rabida, bacchatur amara
Bile Satan, clamat, Machari, tu dape viuis,
Ipſe ego non epulor, tu dormis nocte, ego nunquam
Dormio, tu ſacco tectus ſub rupe moraris,
Nudus ego vagor irrequietus, in igne quieſco.
Sola humilis virtus tua me ſub obuſta gehennæ
Conijcis ora, & te ſuper æthera laude coronat.
Impius inuadens Saulum Satan intima vexat
Viſcera, Ießides, aurato pectine ſumpto,
Pſallit, & aptata cithara meditatur eburna
Dulce melos, regiſqúe emulcet pectora, cogit
Pſalmorum cantu Satanam volitare per auras.
Non ne, mi honeſte Pater BENEDICTE, repentè puſillum
CHRISTI tyronem virgæ dum percutis ictu,
Extrudis Satanam, diro quaſi verbere tactum?
Sæpe crucis ſigno profligas tetra profundi
Monſtra laci, in tenueis expellis crebrius auras.
Primo itaq; aggreſſu Satanæ aduerſare furenti,
O quicunq; eius technas detexere tentas,
Ne caput introrſum circa præcordia ſerpat;
Nam totum facilè introducit corpus, & inde
Pellere non poßis, dum viru te necat atro.
Debilis eſt inimicus, nullum vicit ab æuo
Abſque voluntate eius, & abſque ipſius amore.

ARGVMENTVM VITAE Octauum.

QVAM potens pij Patris obtutus, quo & Zalla Gothorum ſæuiſſimus à feritate barbarica auertitur, & pauperrimus agricola à laqueo eripitur, quo arctiſſimè fuerat innexus.

TETRASTICHON.

Miles ab agricola detorquens paupere nummos,
Hunc laqueo nexum pertrahit ante ſenem.
Quem procul admirans oculo BENEDICTVS *acuto,*
Detruncat laqueum, liberat agricolam.

VITA.

Zalla, quid agricolam, manibus poſt ilia vinctis,
Lethali ſtimulas flagro? BENEDICTVS *opimæ*
Nil ab eo accepit gazæ: pauperrimus agri
Cultor aqua tantum, atque agreſti veſcitur herba.
Bile furis tetra, quid auare ſitiſcis? in auro
Spes tibi nulla ſit: obtutu qui ſoluit acuto
Vincla inopi, ſoluet laqueum, quo Dæmon obarctat
Te ferus, vt picei barathro te intrudat auerni.
Cur fremis, armipotens miles? ſpoliator egeni,
Pauperis aggreſſor, veniam pete ab æthere flexus,
Ne ſuperûm princeps celeri te fulgure plectat,
Te vel hiulca voret tellus, vel ſorbeat æquor.

MO-

MORALE OCTAVVM.
ARGVMENTVM.

VT omnes ex vna radice veteris Adę naſcimur peccatores, & noui Adæ CHRISTI ſanguine renaſcimur iuſtificati, ita vno charitatis vinculo copulamur, vt ad illam æterni patris gloriam ducamur, ad quam creati ſumus.

NIL magis inter mortaleis pietate coruſcat
Humana, qua omnes ſumus vnum corpus, & vna
In CHRISTO ſimplex anima, & Baptiſmatis vnda
Abluti ſacra, & fidei compage, & amoris
Sinceri nodo iuncti, Crucis arma gerentes;
Vt multi rami ex vna radice vireſcunt,
Sic nos vnimur ſub CHRISTI numinis ala,
Atque huius clypeo munimur in agmen atrocis
Dæmonis, auricomam ſperantes hoc duce palmam.
Nos natura pareis genuit, tam corpore pulchros,
Quàm puros animo vera ſub imagine noſtri
Patris Adæ, atque Euæ genitricis, vt aurea cæli
Regna potiremur læti poſt tædia mortis:
Infræni tamen ingluuie, cupidoq́ue parentum
Noſcendi ſtudio, atque rebelli mente in olympi,
Terræq́ue artificem, ſerpente interprete falſo,
Nos miſeri, infœlices, vnà renibus horum
Inſerti, pœnas damus, æſtu, vt frigore torti,
Affecti ſitis, atque famis prurigine, duro
Angimur exilio, patimur contagia morbi,
Ac vitij, mortis toleramus tædia ſæua
A matris lacte, à cunis vſque ad funeris vrnam.
Hinc fluxere tuum, atque meum; hinc diſiungimur omnes.

Impietatis, & improbitatis acumine tracti;
Quæ ſua ſunt, quærunt omnes, nec alius ad horam
Quis faſcem gratis defert, nec honore ſenectam
Proſequitur, nec amore iuuentam amplectitur vllo.
Non igitur mirum, teter ſi barbarus arctat
Agricolam laqueo, ſi quod tenet, exigit aurum:
Fur eſt, & latro, atque humani pauper amoris,
Indigus vrbanæ pietatis, ſæuior angue,
Tigride deterior, rapido crudelior vrſo,
Contemnit ſpeciem, fædat genus abſque pudore,
Informi vultu conſortem vexat, egenum
Diſpoliat, nummos ab eo petit, ò miſer, à quo
Nil ſperare valet, tritum niſi habere ligonem.
Tu miſerûm miſerere ærumnis, vt tua regum
Rex CHRISTVS *tandem miſeratus crimina, tollat*
Infortunia tam vitæ, quàm tædia mortis.

ARGVMENTVM VITAE Nonum.

NIHIL hic ſolos Heliam, aut Eliſeum miremur ſuper extinctos pueros incubanteis: En vates noſter, en Apoſtolorum CHRISTI diſcipulus, dum eos ſectatur incubando in puerum, dum Apoſtolos orando, illum erigit dextera, atque a mortis faucibus continuò eripit incolumem.

TETRASTICHON.

Pauperis arctatus lachrymis BENEDICTVS *in aſtra*
Ingemit, ac puerum ſuſcitat exanimem.
Quem pater incolumem cernens, reueretur olympum,
Et geminat palmis oſcula grata ſenis.

VI-

VITA.

N*IL pietate canam præſtantius: intima cordis*
In lachrymas ſoluit miſeratio, mollia nobis
Pectora diſtribuit natura: en ſulcat obortis
Fletibus ora ſenex, puerum dum ruſticus offert.
Non ego Apoſtolus, ingeminat Benedictvs, *ab alto*
Poſce animam puero; genitor mox voce per æthram
Clamitat, affer opem, fœdum tibi linquo cadauer,
Ni puer exanimis ſurrexerit illico viuus.
Tum Pater erecto vultu, ſuſpiria miſcet
Lachrymulis; iungit palmas, prece ſcindit olympum,
Incubat in puerum, puerum cruce munit, in auras
Euocat humanas, ſurgit puer ante parentem.

MORALE NONVM.
ARGVMENTVM.

VT vera Philoſophia eſt meditatio mortis, & ſe quotidie ad illam componere; ita ſumma dementia eſt, Veneri, & ſomno indulgere, & cum Epicuro, & Epulone dicere, Viuam.

M*Ors nihil eſt aliud, quàm vitæ finis, acerba*
Corporis, atque animæ diuiſio, amœna ad olympum
Semita, grande vadum, nec non via lata ad auernum,
Ærumnæ, morbi, pœnarum meta, & origo,
Ianua, portus, & introitus paradiſi, & opaci,
Ac tenebroſi carceris, ardentiſque gehennæ
Nauis onuſta reis, quadriga repleta malignis,
Vltima (crede mihi) cunctarum linea rerum.

Mors eſt peccati merces, à patris Adami,
Atque Euæ matris pomo, ingluuieq́ue profecta:
Dicitur à mordendo mors, nam mordicat omneis
Terrigenûm ſpecies mordaci dente, & acuta
Falce ſecat quoſcumque homines, ſuper arua vaganteis;
Non regi parcit, nec agri cultoribus vſquam
Indulget, rapidis, quod viuit, morſibus æquat:
Atria ſic procerum irrumpit laqueata fricato,
Vt rudis agricolæ inuadit magalia, vultu:
Dulcis, amara, illi dulcis, qui vixit honeſtè,
Huic verò, qui inhoneſtè vitam duxit, amara:
Ac ſi taxillis ludat, mortalis in orbe
Degit homo, nunquam ſub imagine viuit eadem.
Tempora voluuntur ſeptem ſuper eius acerbæ
Vitæ curriculum, nunc infans floret odorus
Maternas inter mammas, nunc gaudet ephebus
Triticeò libo iuuenis, nunc flore iuuentæ
Dimiſſo, ad ſenis exhauſtum deducitur æuum.
Sic homo decreſcit creſcendo, vt luna per orbem
Mutatur, nunquam ſub eodem ſiſtitur aſtro.
Fælix, qui virtute ſuam componere vitam
Inuigilat, vitium fugit, ac ſe qualibet hora
Expolit ad mortis ſpeculum, meditatur atrocis
Iudicis aduentum, reſonare per aëra vocem
Cogitat, ò miſeri defuncti ſurgite, veſtrum
Accelerate iter; omneis ad regale tribunal
Primogenæ dei, & vnigenæ genitricis honeſtæ
Virginis effætæ, ſumpturi iuſta laborum
Præmia, ſiue boni bona, ſiue mali mala lance
Compenſata pari, merito tribuenda labori.

ARGV-

ARGVMENTVM VITAE Decimum.

DILECTVS Deo, & hominibus Pater BENEDICTVS adeò ſororis ſuę virginis Scholaſticę ſanctitate afficiebatur, vt erecta in radice montis turri, ſemel in anno eius frui aſpectu ſatageret, ac mutuò ſe ibi, non modò corporali cibo recreari contenderent, verùm diuino ſe refici eloquio curarent. obtigit autem ſemel, vt menſæ accumberent, quòd ſoror Scholaſtica; virgo rogauit fratrem, vt nocte ſequenti non eam deſereret, ſed cum ipſa remaneret, auditurus plurima ante mortem cum illo conferenda; quod frater, vt accepit, zelo regulę accenſus reſpondit, vt beatiſſimus Gregorius Pontifex maximus in Dialogo refert; Quid eſt quod loqueris, ſoror? manere extra cellam non valeo, ſed vale dicens reuertar ad cœnobium. tunc ſoror inſertas digitis manus ſuper menſam poſuit, & caput in manibus omnipotentem dominum rogatura declinauit, cumque de menſa caput leuaret, tanta coruſcationis, ac tonitrui virtus, tantaque inundatio pluuiæ erupit, vt neque venerabilis BENEDICTVS, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo conſederant, pedem mouere potuiſſent. tunc vir Dei videns ſe non poſſe ad monaſterium remeare conqueſtus eſt dicens, Parcat tibi Deus, ſoror: Quid eſt, quod feciſti? Cui illa reſpondit; Rogaui te, nec potui obtinere, quod volui, rogaui Deum meum, & exaudiuit me; Nunc ergo, ſi potes, egredere, & me dimiſſa, ad monaſterium redi; ipſe autem exire extra cellam non valens, qui manere ſponte noluit, manſit inuitus. Quàm pacata ſororis cum fratre concertatio, quę non odio, ſed charitate perficitur! lachrymoſa oratio impetrat, quod rigor iuſtitiæ ſæpius denegat; remoratur enim pluuia fratrem, quem ſororis affectio retinere valuit minime.

TETRASTICHON.

POſtulat, vt frater maneat, ſoror vnica nocte:
Hic negat; à ſuperis iſta precatur opem;
Qui prece non vltro manſit, prece vindice, cœlum
Hunc tenet inuitum, fulgure, vento, & aquis.

VITA.

EN amor, en Zelus placidum ſine bile duellum
Inſtituunt ſed amor Zelum abſq; cruore triumphat.
Inquit amor, dilecte mi adeſto hic nocte ſequenti,
Vt dape depaſti, veſcamur nectare diuûm.
Zelus ait, tortum clypeo dum haſtile retorquet,
Quid ſoror effaris? nequeo dimittere cellam,
Nam iuga piniferi repetam nemoroſa Caſini,
Quæ ſtatui monachis, complecti ſcita coarctor.
Nunc amor inſertis manibus tam fletibus imbrem,
Quàm votis pluuio detraxit ab æthere fulmen,
Inde ait, ò mi frater, abi, pete clauſtra, negaſti,
Quod cœlum dedit, hinc me abſcede relicta:

MORALE DECIMVM.
ARGVMENTVM.

NOn de ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei, & eò iucundius, quò illud guſtaueris auidius.

TRiticeo non pane modò depaſcimur omnes
Chriſticolæ, ſed ab ore Dei manante cibamur

Eloquio

Eloquio, per humum ſpinas, tribuloſque ferentem
Nos miſeri, nos infælices filij Adami,
Atque Euæ matris mortalia, vana, caduca
Pignora. nec mirum, ſi, virgo Scholaſtica, noctè
Succedente, rogat fratrem, poſt ſacra diei
Prandia tranſacti, ſecum remanere ſub alta,
Ac ſolita turri diuino pane cibanda.
Et quia poſt triduum virgo moritura tenaci
Complectebatur fratrem pietate, & amore
Supremo reuerebatur; quærebat obortis
Lachrymulis, nec eum turri diſcedere, nec ſe
Ex eius latere auelli, ſed nocte ſilenti
Conſuleret fratrem, quid, iter carptura ſupernum,
Emoliretur. Theſbiti nouit ituro
Ad iuga montis Oreb, laticem cum panis ofella
Propinaſſe policiuem, ſcit, & abſque placenta,
Et ſine fontis aqua Moſen documenta vetuſtæ
Sumpturum legis diuino pane cibatum
Bis quadragima dies, quo, & ali, & pingueſcere virgo
Nocte rogat rutila, aſcenſura per auia cæli
Culmina poſt triduum, rutilis decorata columbæ
Induuijs albæ, ſuperum comitata choreis,
Victrici palma, atque tribus redimita coronis.
Garrule, ſi quis es, aduerte, oro, frater, habenis
Os moderare tuum tractis, frænare lupato
Mordaci linguam, taciturnis vtere labris,
Ne labaris in alterius conuitia, ſannas,
Opprobrium, riſus, iacturam, damna tam honorum,
Quàm rerum, linguam chamo compeſce ferino,
Ludicra ne promat verba, & ſcurrilia, coràm,

Si

Si quis erit, viuente viro, probitate coruſco.
Si quid habet populo dicendum, lima timoris
Diuini poliat, vel ab igne niteſcat amoris
Fraterni, pſallat Domino ſapienter; amico
Obſequium non improperet, nec laudet inepto
Ore, ſed arguto, & parco; quem iudicat hoſtem,
Nec laudare, nec exprobrare intendat aperto
Gutture, ne, ſi animo deridet vindice, praua,
Ac mala cernatur, claris ſi laudibus effert
Blandiloquo, & falſo videatur in ore doloſa:
Sermo tuus, quaſi ſermo Dei ſit, tam ſale ſalſus,
Quàm mellitus melle: placet (mihi credite) cunctis
Alloquium ſine dente, faui dulcedine ſemper
Exundans, aureis oblectat, pectora paſcit.
Diſplicet ò quantum, cuicunque loquatur amico,
Lingua dicax, probroſa, triplex, infrænis, iniqua.
Semper in ore tuo Domini ſit laus, ſit honeſta
Lingua, benigna, modeſta, pudica, ſalubris, & æqua.
O quicunque cupis pacem, quicunque ſalutem
Corporis, atque animæ quæris, quicunque beatam
Suſpiras requiem, fruiturus numine trino,
Atque vno, ſuperûm laude, immo gloria in æuum.

ALIVD MORALE Decimum.

Quomodo ſe quiſque in Sympoſio gerat.

NON primus menſæ accumbes, non vltimus inde
Exurgas, dicta fac prece vtrunque ſilens.
Lauta reconciliant pacem conuiuia; rixas,
Iurgia, probra, iocos hinc procul eſſe decet.

Parcito

Parcito Bacchantûm calici, frugalibus, hortor,
Indulgeto epulis, nec ſine fontis aqua.
Dum in menſa aſsidis, cubitos, vel brachia prono
Pectore mox ſuper hanc tendere laxa, caue.
Non tua ſuſtollas genua, aut equitare viciſsim
Illa velis, ſtabili iungito crura pede.
Vultu hilari, quodcumque datur, cape, redde ſerena
Fronte, quod expetitur, quod ſit honore, proba.
Non, quot edat conuiua bolos, aut pocula potet,
Dic, ſed edas parcè, parcius inde bibas.
Treis tibi lymphati cyathos det menſa falerni,
Pars ſit aquæ vna, & ſit pars geminata meri.
Quo labra detergis lino, ne comprime nares,
Nec caligis digitos terge, nec ora manu.
Fauce vna molito, manibus nec vtriſque miniſtra,
Quicquid edas, primùm contere in ore cibum.
Dum bolus atteritur, noli depromere verbum,
Aut taciturnus ede, aut colloquere abſque bolo.
Sit pudor eructare palàm, poſt terga reuolue
Tunc faciem, ructum ſolue per ora leuem.
Arte ſub hac ſputum ſpue; non licet ante ſodaleis
Nauſea, quo ſurgat ſordis habere parum.
Prome ſaleis ſine dentibus, & ſine murmure verba,
Exulet hinc Bacchus, cedat amara Venus.
Si quis erit fractus ſenio, virtute verendus,
Da cyathum, lanceis porrige vtraque manu.
Longa gruum, non curta hominum cupit helluo colla,
Dulcius vt guſtet ciba, falerna, dapes.
Non Epicuro, aut Sardanapalo parcior illo
Hic, qui, vt aquam tellus, pocula ſorbet edax.

Tu, quis es, aduerte, ingluuiem frænare lupato,
Paſſeris vt venter, non tibi bucca lupi:
Te natura hominem fecit ratione vigentem;
Mancipium ventris cur te agis, orbis here?
Eſt cibus abſque fame inſulſiſſimus, omnia condit
Iura fames, vinum deſipit abſque ſiti;
Abſque labore fames alget, ſitis arida curſu
Fit ſitibunda, merum vi moderatur aquæ:
Curſores ſitiunt, foſſores prandia mandunt.
Eſt labor, eſt curſus potus, & eſca gulæ.
Non labijs digitos deſugas ſumine tinctos,
Sed nitida polias mappula, vt ora polis.
Oſſa canis rodit, glandeis ſus frendet edaci
Fauce, ſaporiferos tu mole dente bolos.
Vina pitiſſare, ac buccellis cingere lancem,
Ius ſorbere, manu lambere vaſa caue.
Non ſale depolias denteis, hos ſcalpere cultro,
Aut mundare mero, qua decet arte, fuge.
Totus in hoc vigila, vt te non temulentia vincat,
Quo nullum poteris maius habere probrum.
Qui dapibus ventrem, ventri qui vina miniſtrat,
Naufragus infeſtis per freta currit aquis,
Somniat euigilans, nec vates plura prophetat,
Se peragrare putat, cum ſit in æde vagus;
Deſtruit, ædificat, ſeruit miſer, imperat, vt rex,
In cerebro, veluti luna ſub orbe rotat;
Si qua domi cernit, reſupinat, & extera miſcet,
Se probat eſſe aliquid, ſe monet eſſe nihil:
Nunc titubat pede, nunc lapſus vacillat inani
Mente catenarum; Compede dignus homo;

Opprobrioſa

Opprobrioſa vomit verba, & petulante cachinno
Singula deridet, ſus temerata luto:
Ebrie, cui vita eſt vinum, cui lethifer hoſtis
Sobrietas, viues? non: moriere cito.
O miſer aduerſus comitum conſortia cornu
Sæuis taurino, ceu leo, tygris, aper:
Dum tua cuncta vides ſalua, ò cæce, excidis alto
In præceps, oculos frangis, & oſſa teris:
Laberis è ſummo in barathrum, temeraria ridet
Ebrietas, vino capta, dolore gemit;
Ante ſupercilium confringis tempora, vultum
Scindis, aqualiculum findis amore meri;
Nec, temulente, mero parcis, quin viſcera multis
Farta epulis vino ſpargis, vt amnis humum:
Nulla (mihi crede) eſt ſapientia, nullus honeſtæ
Ordo pudicitiæ, regnat vbi ebrietas,
Neſcia virtutis, vitijquе́ conſcia, nullum
Occulit arcanum, potat, edendo vorat.
His veſcare cibis, quos moderata Platonis
Menſa, vel arcta tibi Socratis olla parat.
Scito, quòd in vili rapas comedebat aratro
Samnitum domitor, Romulidumquе́ decus.
Non auro Curius cedit, ſed habentibus aurum
Imperat, arma probat, ſpernit auaritiam.
Vicit Alexander Darium, rex vincitur ipſe
A vino, Anthiſtem fruſta in aperta ſecat:
Regna tot inceſſit, tot in orbe trophæa parauit,
Plura mero captus damna refudit humo.
Fortius ergo nihil vino, nihil abſque modeſta
Sobrietate ſapit, nil niſi honeſta viuant.

Sic bibe, ſic comede, vt poſſis aut ſcribere leges,
Aut legere annaleis, aut prece adeſſe Deo:
Talia ſi patrare nequis, te noſce falerno,
Aut dape deluſum, cede, quieſce, tace.
Exiguum natura petit, ſed opinio multum,
Viue ad naturam, qua duce, diues eris:
Principium vitæ panis, cum fluminis vnda,
Nunc carnes ſapiunt, nunc tibi vina placent.
Quàm fœlix ætas, fontis contenta liquore,
Glandibus, atque herbis, pane cibata breui:
Terra nec arma tulit, nec nouit ſylua ſagittas,
Dira nec aurigeras glutijt vnda rates:
Candida pax homines ſummo coniunxit amore,
Nemo meum nouit dicere, nemo tuum:
Hæc duo ſunt pugilum capita, & diſcrimina rerum,
Hæc duo ſunt auidæ tela cruenta necis;
Tempora non eadem dices, mutata ſub æuo
Sunt alio, oua modò, tunc olus edit homo:
Tempora ſunt eadem humanos moderata per vſus,
Non animo, at ſenſu tempora quiſque colit.
Omnia ſunt aliena mihi, mihi tempus inhæret,
Cuius iactura nil reor eſſe prius.
Auro emitur magno, minimo diuenditur ære,
Plus Aquilone fugit, nec redit, vnde volat:
Tempora ſunt probitate hominum bona, ſunt mala eorum
Improbitate, bonus tu bona ſemper age.

ARGV-

ARGVMENTVM VITAE Vndecimum.

PVrvs, & ſimplex Patris intuitus; Nam poſt triduum ſpeculę innixus, vt dominum oraret, Benedictvs videt ſororis animam ſub candidiſſimæ columbæ ſpecie faſtigia cœli per quàm ouanter, & glorioſè tranſuolare.

TETRASTICHON.

Virgo columbina ſub imagine functa per æthram
Ad ſuperos geritur, fratre vidente, choros.
Germanæ aſpiciens animam Benedictvs, *in vrna,*
Quam ſibi condiderat, corpus ineſſe iubet.

VITA.

Mane ſerenato deuota Scholaſtica, fratre
Summa petente ſacri faſtigia montis, in arcta
Cœnobij clauſtra ingreditur, correpta maligno
Poſt triduum morbo, ſacris munita, pudicum
Corpus humo reddens, animam ſuper aſtra locauit.
Quam vigil aſpexit frater, dum nocte ſilenti
Vota Deo caneret, rutilum per inane volantem
More columbino, atque videt ſuper æthera vectam
Virgineo cœtu, ſuperûm comitante ſenatu:
Virginis vnde iubet deferri corpus in vrnam,
Quam ſibi condiderat: plorantibus vndique ſacris
Virginibus, monachi celebrant pia funera ſacrum
In fratris tumulo poſituri ex more cadauer.

MORALE VNDECIMVM.
ARGVMENTVM.

SAncta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Oratio tua in ſinu tuo conuertatur.

QVO Pater affectu mentis, quo cordis amore
Germanam coleret diuam BENEDICTVS, honeſtam
Dum terris agerent vitam, ceciniſſe Camœna,
Arbitror, illuſtri; cuius modò nobile funus,
Effuſis lachrymis, lugubri carmine pangam.
Cum Pater ex vſu ſpeculæ oraturus apertæ
Nocte ſub algenti hæreret, mox cernit ab æde
Virginis emigrare animam per inane coruſcum
Germanæ cœli rutilam ſtellantis in arcem.
Tunc hilari vultu fratres vocat, atque cadauer
Virginis efferri imperitat ſuper ardua montis
Culmina, vt hymnidicis elatum laudibus arca
Intumulare ſacra poſſent poſt funeris acta.
Nouerat hic germanæ animam ſuper aſtra ſedere
Ad Patris dextram, tamen offert munia laudum,
Inferiaſque Deo ſoluit pia vota vouendo.
Te meminiſſe decet benedicta ſpargere lympha
Defuncti corpus, requiem cum pace precari,
Ac pia ſacratas adolere holocauſta per aras.
Nam miſerere mei, clamat, miſerere, ſub igne
Torqueor, affer aquæ ſtillam, qua incendia culpæ
Extinguam penitus, detergam grande reatus
Supplicium, CHRISTI merito crucis, atque cruoris
Profluuio tam animæ labem, quàm corporis omnem
Protinus abradam, vt cunctis ſim clarior aſtris,

Iungarque

Iungarque angelicis victor ſuper æthera turmis,
Et pro te referam grates Patris ante ſenatum.
Forte tuos noſti cælum ſcandiſſe parenteis,
Aut fratres? noſti ne polum per vtrunq; propinquos
Diradiare tuos, quo quid iucundius aurem
Pulſat, & in magna auditores gaudia ducit?
Et, quia tu neſcis, pro cunctis vota litato
Defunctis vitæ domino, mortiſque datori.
Igne velut ferrum candet, velut emicat aurum,
Sic animæ pœnis ſoluuntur, & igne niteſcunt
Iunctis terricolûm donis, percibuſque piorum.

ARGVMENTVM VITAE Duodecimum.

VIDENTI creatorem viſibilis, & anguſta fit omnis creatura; nil ergo mirum, ſi, dum ſub vno ſolis radio oculatiſſimus noſter ſpeculator totum proſpicit mundum integerrimè collectum, ſpeculetur animam Germani Epiſcopi Capuani ſub rutilo ignis globo angelicis cuectam manibus in æthera quàm fœliciſſimè euadere.

TETRASTICHON.

NOcte Pater media proſpectat ab arce ſub vno
Mox ſolis radio quicquid in orbe latet:
Germani adſpiciens animam ſuper aſtra choreis
Deferri angelicis ardet amore ſenex:

VITA.

NOcte ſoporifera vigilat BENEDICTVS, *olympi*
Excitat autorem lachrymis, cæleſte laceſſit
Agmen,

Agmen, vt aſſurgat domino, nil miror, ab aſtris
Qui videt artificem, videat ſi opus omne ſub aſtris.
En Germani animam Capuani præſulis almam,
Igniuomis tectam globulis ſuper æthera clarum
Scandere ſtellati faſtigia cernit olympi,
Angelicis vectam manibus, nixamqúe lacertis.
Fœlices oculi, nec obeſt, ſi tetra per auras
Nubila graſſentur, rutila ſuper ætheris aula
Cælicolûm ſpeculantur herum, meditantur ab alto,
Quæ dantur dona, & quæ illuc mittuntur ab imo.
Miſſus ab excelſa montis puer arce Caſini
Germanum ſcrutatur ea migraſſe ſub hora,
Sub qua animam vidit Benedictus in aſtra migran-
Cuius apud corpus perſoluit funera clerus. (tem,

MORALE DVODECIMVM.
ARGVMENTVM.

BEATI mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, non poſt parietes, non per cancellos, non in ænigmate, ſed facie ad faciem, velut Abraham, Moſes, & BENEDICTVS.

COrpore quàm fuerit caſtus, quàm corde fidelis,
Atque anima mundus pater hic BENEDICTVS, *habetur*
Ex vno ſolis radio, ſub quo omnia mundi
Regna ſuis ſubiecta oculis proſpexit in vnum,
Et Germani animam, rutilum per inane ſub ignis
Tranſmigrare globo, geminum ſuper ætheris axem
Eminus aſpexit, ſuperûm comitante ſenatu,

Angeli-

Angeliciſqúe choris dulceis modulantibus odas.
Nec viſu mirum, nec dictu, quod loquar, audi.
CHRISTVS ait Patris Sapientia, ventris odora
Virgula virginei, verbum ſub carnis amictu
Humanæ; ſi qui ſunt mundo corde, beati,
Diuinum ſi quidem numen ſine labe videbunt.
Vt Moſes in Oreb, Abraham ſecus oſtia Mambræ,
Atque prophetæ omnes viderunt lumine tacti
Diuino, accenſi in fratreis pietatis amore.
Si quis auet terris diuinum cernere vultum,
Pectus ab immundis emundet nobile curis,
A tetris ſcelerum maculis, à mentis auaræ
Ingluuie virus fuget, à ceruice ſuperba
Grande ſupercilium deiectes, carnis amarum
Effugiat luxum, liuoris tædia pellat,
Infrænet linguam, vitam componat honeſtis
Moribus, exemplis moderet viuacibus, immo,
Si qua videt, patrum veſtigia recta, ſequatur
Quo valet æquato greſſu, pede præpete, aperta
Fronte crucem ſumat, nudus ſectetur egenum,
Atque inopem cæli regem, cui nec domus vlla,
Nec locus eſt, vbi deflectat caput, ac ſua claudat
Lumina; cum vulpes habeant ſpelæa, vbi nocte
Dormitent, ſyluaſqúe habeant, vbi luce vagentur,
Et cæli volucres nidos, vbi gignere pullos,
Ac nutrire queant, donec pernicibus alis
Ex nido volitent, carpturi pabula roſtris.
CHRISTVS enim lux eſt mundi, quæ cuncta ſub aſtris,
Ac ſuper aſtra illuſtrat, & vltro diluit omnem
Tam carnis, quàm animæ nigrorem, gratia cuius

Sic

Sic animam purgat vitijs, virtute dealbat,
Vt procul exploſa ſcelerum caligine tota,
Mox anima efficiatur candida, tota columbæ
Candenti ſimilis, dorſo quæ promicat auro:
Quæ ſuper irriguo ſpeculatur fonte rapacis
Vulturis inſidias; animam decanto videntem
Tentamenta hoſtis propè vatum dogma piorum:
Quæ ſublime Dei numen videt omne creantis
Ex nihilo, quamcunq; videt facilè abſque reatus
Nube creaturam, purgato mentis ocello.
En Germani animam Capuani præſulis alta
Cæli ſcandentem faſtigia ſpectat, amore
Ignitam ſupero, cæleſti luce nitentem
Iam Pater innixus ſpeculæ BENEDICTVS *apertæ.*

ARGVMENTVM VITAE Tertiumdecimum.

VT omnibus compertum eſſet haud ſecus docuiſſe legis la torem noſtrum æque atque vixiſſet, Regulam ſcripſit ſermone luculentam, diſcretione præcipuam, qua ſe homo exterius componeret,& anima ſe interius illuſtraret. Hanc Mauro Galliam petituro, ibi exponendam tradidit, Placidoque Siciliam profecturo non inconſultò largitus eſt.

TETRASTICHON.

ANgelicam duxit vitam BENEDICTVS *ab vbere ma(tris,*
Quam ſua commendat lex, & honeſta manus.
Hunc quicumque ſequi cupit, hac ſe lege venuſtet;
Nurſius alter erit, paſtor in orbe pius.

VI-

VITA.

NON ſua quærit amor, ſed honeſti quærit amici,
Et CHRISTI ſolamen, honores, commoda; Maurum
Dat Gallis, Placidum Siculis delegat, vtrique
Vt pia, quæ didicere Patris monimenta, retexant.
Gallia quàm fœlix, quàm fœlix Trinacris ora,
Bina vbi dirutilant BENEDICTI lumina Patris,
Miſſa Caſinenſis ſublimi ex vertice montis,
Vt vitæ merito, ac doctrinæ vtrumque nitore
Irradient regnum ſatius, quàm ſydera cœlum.
Gallia, non ne tibi Maurus celeberrima ſtruxit
Cœnobia, ornauit monachis ea, vt æthera ſtellis
Mundi opifex? millena egit miracula viuus,
Plurima nunc ſacra peragit defunctus in æde,
Tam ſuperis anima gratus, quàm corpore terris.
Tu forſam Triquetra minor? tu indignior? ecce
Non modò te diuis illuſtrat moribus alma
Tertulli ſoboles, ſed honorat corpore trunco;
Sanguine tam fratrum, dira quàm cæde ſororis,
Quin maior tantò, tantoq́ue beatior illa
Es tu, ò Sicelidum regio, ò Sicania fœlix,
Quantò martyribus locupletior eſſe ſub aſtris
Appares, & apud Dominum ſuper aſtra patronis.
Quæ tibi nunc, Meſſana, feram præconia laudum,
Cum tua purpureo Placidus riget arua cruore,
Et ſua fraternis commiſceat oſſibus oſſa,

Et membris membra, & mutilis mutilata per artus
Corpora corporibus iungat ſacra in æde ſepultus?
Maior es, ò Meſſana, & eò fœlicior omni
Orbis es vrbe, Deus quò te magis ornat olympi
Theſauro, Romægaza, fulgore Caſini.

MORALE TERTIVMDECIMVM.
ARGVMENTVM.

HAVD ſecus legifer noſter ſcripſit Regulam æquè, atque vixit. Vita iuſti lex ſancta; efficacius enim quis opere docetur, quàm verbo, exemplo, quàm ſermone.

Legifer vt noſter vixit BENEDICTVS in orbe
Hoc, ita deſcripſit legem ſermone diſerto,
Diuino, facili, grato, verace, modeſto,
Quæ clauſtrale eſſet decus, & cæleſtis in æuum
Exemplar vitæ, ſpeculum pietatis, imago
Virtutum, columen probitatis, amœna ſalutis
Semita, iter breue, perquàm tutus ad æthera portus,
Non modò in Auſonia, toto ſed in orbe futura
Lex pia, ſuaue iugum, pondus leue, Regula ſancta,
Quam qui vltro efficiet, meritò poſt funera iunctus
Cœlitibus, ſumma triadis bonitate fruetur.
Hæc omni ſatis eſt ætati, omniq́ue piorum
Conformis gradui, atque adeò ſub cortice fragrat,
Vt foris expromat lac, & mel, & vndiq; nectar;
Infanteis lactat, iuuenes ſimilagine paſcit,
Vertice qui cano ſapiunt, dape nutrit opima,
Nobilitat, quos obſcurat genus, æquat amictu,
Vt vita omneis, religionis parturit aluo,

Quos

Quos trahit à ſeclo miſeros, vel ſtemmate claros;
Sollicitat pigros, celeres infrænat, & vrget,
Deprimit elatos, humileis ſuper aſtra coronat,
Hos extollit honore, probat quos inclyta virtus,
Non quos nobilitas, vel opes, nec quos populi aura
Commendat, vel hypocriſis ambitioſa venuſtat:
Nil in ea durum, nil ſæuum, tota benigna
Tota pia, humanæ ò perquàm accommoda vitæ,
Angelicique ſtatus inſigne exemplar, & ordo;
Manna eſt æthereum, ſapit omnibus omnia gratis.
Haud ſecus hanc potuit BENEDICTVS *ſcribere legem,*
Atque fuit ſacro cunctorum flamine plenus
Iuſtorum, nec non diuino numine tactus.
Hic, vt eremicolûm tyro illuſtrauit eremum
Tunc propè Sublacum, Satanam cum vicit iniquum
Sub merulæ pennis face cor ei atroce cremantem,
Cum carnis ſtimulos ſpinis extinxit acutis,
Atque ſpecum repetens, victor Capitolia ſpreuit.
Hic veluti monachus, monachorumque alter Elias,
Immo Moſes legis dator, & ſub paupere tecto,
Et lare ſqualenti fratres inſtruxit amare,
Atque timere Deum, ſumma pietate vereri
Iuſſa eius, Diuûm venerari ſacra, & eorum
Sectari exempla, atque pijs aſſurgere dictis,
Nil vnquam diuino operi præponere, ſigno
Quamprimùm audito celeri pede templa ſubire,
Quo ſpectat ritu, laudes celebrare diurnas,
Nocturnaſque horas vigili perſoluere ſenſu.
Paupertate frui, pullum redimire cucullum,
Fronte humili, caſtis oculis, & vtraque pudica

Aure, ſupercilijs deiectis, gutture parco,
Abſque dolo, & nugis, fræno ſuper omnia linguæ
Appoſito infræni, vultu ſine hypocriſi, & ira
Conſpicuo, miti, iucundo, ſimplice, grato,
Corpore tam caſto, quàm anima virtute coruſca:
Inuigilare gregi, inde humileis extollere patres;
Deijcere elatos, & amore frequentius vti
In fratres, quàm ab eis pulſa pietate timeri:
Non faciem ſpectare hominum, ſed honeſta probare
Illorum facta, illorumqúe pios addiſcere mores,
Scita patrum recolenda oculo percurrere fido,
Et factis memorare magis, quàm exponere verbis,
Vt ſe, alios colere, ac miſeris ſuccurrere non tam
Conſilio, quàm ope, quàm auxilio, & pietatis amore;
Subdere ſe potius, quàm ſe præferre coæuis;
Plura loqui ſecum, cum alijs pauciſſima fari,
Immo tacere magis, quàm verbum promere prauum,
Quod pudet audiri, tacita ſeu mente reuolui,
Seu dixiſſe obſit ſuprema mortis in hora;
Non rigidum fieri ſpreto monitore magiſtrum,
Sed ſua ſcrutari, quàm ſit mens craſſa, ſupellex
Paruula, ſal modicum, atq; ſui præſumptio magna.
Ne quandoque tibi dicatur, amice fac, inde
Dic, quodcumque doces; factis doctrina probatur:
Fortius exemplo inſtruimur, quàm voce monemur:
Corripi amare magis, quàm aliquid ſuadere flagello,
Ferri animo in cœlum, pura ſibi mente vacare,
Moribus effulgere probis, non murmure rodi;
Nec liuore vri, culpas ex corde fatenti
Indulgere reo, cunctis prodeſſe, & obeſſe

Nulli

Nulli opere, aut verbo, cuique miteſcere, tantùm
Iraſci vitio, & ſcelus exhorrere nefandum;
Aure vti potius, quàm lingua, luce ſilere,
Si quid nocte agitur, quod agendo turpe videtur;
Intextas Satanæ telas detexere, technas
Prodere, debellare acies, incendia carnis,
Mundiquè illecebras, ieiuno ventre, pudico
Pectore, deuotis precibus fugiendo fugare:
Religionis onus non vi, ſed amore ſubire
Pro CHRISTI *cruce, & vltronei mercede laboris:*
Denique nil ſatius, quam ſe componere morti,
Atque immortalis vitæ ſperare trophæum.

ARGVMENTVM VITAE Quartumdecimum.

VERIDICVS vitæ teſtis eſt ineuitabilis mortis exitus; Qualis vita, talis mors; mors namque ſanctorum in conſpectu Domini pretioſa, mors verò peccatorum peſſima. Quàm igitur ſanctè vixerit humillimus CHRITI ſeruus, triumphantis eius mortis gloria tam præſentibus ore enucleauit, quàm ſcripto abſentibus monachis, ſole clarius patefecit.

TETRASTICHON.

PAne ſacro, ſacroquè cibatus ſanguine, mortem
Præuenit, ac vitæ gaudia paſtor auet:
Ad tumulum effertur BENEDICTVS *in æthera cuius*
Spiritus angelico ſcandit ouante choro.

VITA.

Accola dum cœli ſupremam funeris horam
Proſpicit, ac mortem cernit propè limina vitæ;
Abſenteis ſcripto, præſenteis admonet ore
Pace petiturus ſuperûm, fruiturus honore.
Ferali exeſus febri Pater ante Ioannis
Se deferri aram imperitat; defertur ab vlnis,
Ac fratrum amplexu: corpus cum ſanguine IESV
Ore capit puro, atque humili ſub pectore condit.
Inde ſuos hilari vultu ſolatur alumnos,
Et flenteis monachos benedicit, & oſcula promens
Spondet eis fore ſe vigilem magis ante ſuperni
Numinis aſpectum poſt mortem, quàm fuit vnquam
In vita, patrem. quo dicto, lumina cœlo
Fixit, & inter fratrum brachia lætus obiuit.
Vix, ſene defuncto, Maurus ſuper æthera callem
E terris ſtratum aulæis, & luce coruſca
Fulgentem cernens, rutilantibus vndiq; lychnis,
Audijt, hinc Pater aſtra petit de morte triumphans.
Proſpicui, inquam, oculi, fœlicia lumina, clari
Obtutus, peracuta acies, ſuper alta nitentem
Sydera mirantur BENEDICTVM *morte ſubacta,*
Victorem; Triadis fruiturum vnius amore.

MO-

MORALE QVARTVMDECIMVM.
ARGVMENTVM.

VANITAS vanitatum, & omnia vanitas; exitus acta probat: Melior eſt finis orationis, quàm principium. Patientia omnia vincit, Perſeuerantia coronatur.

O Finis vitæ felix, ô fulgida mortis
Gloria, ſydereo BENEDICTVS in orbe quieſcit.
Angelicos inter cœtus tantò rutilantior ardet,
Quantò inter mundi indigenas præclarior omni
Virtutum genere effulſit, ſine hypocriſis vmbra,
Sanctus, & illuſtri populorum laude probatus.
Fortior an Sanſone aliquis? Dauide quis almo
Almior? aut quis erit terris ſapientior illo,
Cui Regina dedit gemmas, cui detulit aurum,
Argentum, thura, ac regionis dona Sabeæ?
Num poſt fata vſquam meruere Trophæa? Quadrigas
Forſan equi traxere albi? fortaſſe per alta
Roſtra horum patuere inſignia funeris hora?
En Pater è terris rutilum ſuper æthera victor
Seraphicas ſcandit ſedeis fruiturus in æuum
Aſpectu Patris æterni, vnigenæque MARIÆ
Virginis, imperio potiturus ſanguine parto.
Hic quid ait Cæſar, Pompeius, Scipio, & Hector?
Forſan Alexander, vel Achilles ore ſuperbo,
Atque ſupercilio elato victricia pandent
Vexilla oblatrantes, ſe poſt funera pompas
Commeruiſſe? tacent miſeri ad Patris alta trophæa;
Clarus olympiaca fulget BENEDICTVS in arce,
Hi piceis merſi tenebris ſub tartara pœnas,

Quas

Quas meruere, luunt, ſtygio ſuper igne flagrantes:
Ecce ſenem pheretro elatum poſt funus honeſta
Intumulant pompa monachi, ſtratumque tapetis
En iter aſcendit, victis qui Dæmone, mundo,
Carne, petit cælum, irradiantibus aſtra lucernis.

ARGVMENTVM VITAE Quintumdecimum.

QVAM glorioſus ſit in cœlo, & potens in terra BENEDICTVS monachorum monarcha, qui ſe magis propitium fore monachis ſpopondit poſt mortem, quàm fuerat in vita, muliercula mente capta, & vaga oſtendit, dum illius ingreſſa ſpecum nocte dormit veſana, mane verò mentis compos effecta indè egreditur lætiſſima.

TETRASTICHON.

DEuia dum ſpelæa ſubit malè ſana puella,
In BENEDICTI *antro laſſa quieſcit humi:*
Hinc BENEDICTI *ope ſurgit inops muliercula mente*
Sana, Deo grates ſupplice voce refert.

MIRACVLVM.

DVM vaga dormit humi muliercula corpore laſſa,
Et cerebro lymphata, dies vbi veſper opacat,
Obnubitque vmbris noctem, ſpelæa ferarum,
Vt lupa, ſcrutatur, ſyluis, velut vrſa, vagatur.
Hæc quandoque ſpecum BENEDICTI *ingreſſa, ſopore,*
Glis vt iners, premitur, ſomnoque obſtertit anhelo,

Stulta die, fit nocte, ſpecu dum dormit hiulco,
Incolumis, tam animo, quàm corpore ſana recedit.
Sana quidem, quæ ſtulta fuit, ſapientior inde
Egreditur, quàm ingreſſa rudi vigilauit in antro.
Hæc tua virtutum, Benedcte, inſignia, qualis
AEthere dirutiles, pandit ſub rupe locellus.

MORALE QVINTVMDECIMVM. ARGVMENTVM.

VT habitus, ita locus, non facit ſanctum; ſed Deo adhærere bonum eſt, & ab eo totus pendere, à quo omne datum optimum,& omne donum perfectum progreditur, & emanat.

QVos diuina humileis aſpexit gratia cœtus
Cælicolûm ex æuo, hos longum ſeruauit in æuum
Summa Dei bonitas fruituros numine trino,
Atque vno per amœna poli viridaria clari.
Quos verò elatos proſpexit ab ætheris arce,
Expulſos in opaca nigri loca truſit auerni:
Vnde nec à ſtabili præfluxit gratia cælo,
Nec vindicta, ſed à cæli rectore coruſci,
Qui grata bonitate pios victrice coronat
Laureolo, prauos culpa horum vindice damnat.
Non locus ergo facit ſanctum, ſed gratia veri
Patris, & vnigenæ CHRISTI cruor, in cruce fuſus,
Vita bona, ac ſancti mores ſine hypocriſi, & abſque
Spe laudis. virtus ſanctum facit, atque beatum
Adſcribit cælo. Babylonis ab igne miniſtri
Regis oburuntur, nec fornax eripit illos;

Tres pueri ex Iudæ benedicto ſemine dulceis
Decantant hymnos Domino, ſpaciantur in igne
Fornacis læti, atque alacres, pede ſoſpite, ſaluis
Crinibus, intactiſquè togis, incendia calcant,
Vt flores roſeos, veluti candentia campi
Lilia, dante polo rorem ſuper igne recentem,
Non fornacis ope, aut flammantis ſorte camini,
Sed virtute Dei omnigenûm patris, omnipotenti
Brachio, & armipotente manu, & pietate ſuprema
Sunt ex igne erepti; ſunt à rege probati
Haud ſecus, atque aurum: terris nitet inclyta Iudæ
Progenies Dauid, floret Benedicta propago.
Prouidus inijcitur Daniel ſub opaca leonum
Clauſtra, Deum flexo veneratur poplite, cantat
Inter eos hymnum, dilambunt ore leones
Eius atroce pedes, ludunt ſine dentibus, immo
Oſcula propinant, genibus reuerentur in vnum;
Hæc non ſuppeditat carcer, nec regia bilis,
Sed, qui cuncta regit, Deus, ætheris auctor, & omnis
Terræ opifex, maris infrænator, & orbis ab ortu
Solis ad occaſum vſque pius pater, ipſe leonum
Ora æquat labijs agni; vngueis non ne columbæ
Vnguibus æquales reddit, qua temperat arte
Cuncta hominum geſta, ac pecorum moderatur atrocûm
Ingluuiem, Danielem ſeruat ab vngue leonum?
Laſſa labore graui mulier, depreſſa profundo
Lethargo, infœlix, ſtulta, & vaga ſero ſubintrat
Patris ſpeluncam BENEDICTI, *victa veterno*
Nuda obdormit humi ſero, tam corpore ſurgit,
Quàm mente incolumis manè, hinc mox ſana recedit

Non

Non probitate loci tantum, ſed honore ſupremo,
Quo Patrem ſuperi celebrant, homineſqúe verentur.
Sunt loca ſanctorum ex ſe non, ſed propter eorum
Cultorum vitam celebrem veneranda ſub aſtris,
Quorum animæ æterna requie ſuper aſtra quieſcunt.
Hîc nihil obſcænum, nihil eſt ſcurrile patrandum,
Ridiculum verbum procul hinc, vt inutilis actus,
Concilia hinc abſint populi, vt collegia fratrum.
Terra etenim ſancta eſt, locus eſt ſacer, eminus eſto,
Solue pedum ſoleas, nudato vertice, prono
Poplite, ſublatis oculis Dominum venerare ſupernum,
O quicumque optas gemino ſuper axe beari,
Luce frui angelica, vnum, ac trinum cernere numen.

AD BEATISSIMVM P. BENEDICTVM.

PRO eius Congregationis quiete, & pace Auctoris perquàm deuota oratio.

MAgnus in orbe fuiſti, mi BENEDICTE, *monarcha*
Dulcis eremicolûm, monachorum quàm optime pa
Innumera egiſti miracula tam cruce preſſa, (*ſtor,*
Quàm prece deuota, geminato nomine IESV.
Maior es in cœlo ante parentis numen, & ante
Ipſius vnigenæ vultum, matriſqúe MARIAE
Virginis aſpectum, ſi maior es, ò patriarcha
Nobilis, ò protector, adeſto, precamur, obortis
Fletibus, inflexis genibus, manibuſqúe ſupinis,
Vt promiſiſti monachis propè gaudia mortis.

Reſpice, quo tua relligio ſacra fluctuet æſtu,
Et, quibus in ſcopulos quaſſetur, cerne procellas,
Ne quandoque ruat præceps, ac naufraga ponti
Tetra petat loca, adeſto, pater; te remige tuta
Horrida tranſiliet Scyllæ vada, vt ora Charybdis
Impia, tam naui ſalua, quàm merce migrabit
Ad portum, celeuma canendo per æquora lætum.
Aerias profliga acies, truculenta ferocum
Prælia Tartaridum, quo præſtas robore, ab eius
Cœnobijs, & ab ipſorum diſpelle colonis:
Sint procul hinc mundi faſtus, petulantia carnis,
Ingluuies ventris, ventriſquė vorago falerni,
Vnca manus, vel edax liuor, male ſana voluptas,
Fœnus auaritiæ, vitij contagio, cuncta
Peccati ſpecies; tua, quæ eſt noua, planta iuuenta
Florida virtutum ramis adoleſcat, adulta (ctus,
Tam prope ſcita Moſi, quàm Christi *dogmata fru-*
Vndique odoriferos diſpandat ab orbe in olympum.
Quam tu plantaſti, syluecit vinea; nemo,
Seu pauci ſunt, ſi qui ſunt, quos cura fatigat,
Quos honor vrget, amor compellit ad eius auorum
Culturam, ſepe abſciſſa, ferus en aper intrat
Vndique, corrodit teneros cum vite racemos,
Cuſtodes adhibe vigiles, concede peritos
Cultores, vt botriferis neglecta vireſcat
Vinea palmitibus, dulciquė exuberet vua.

Hoc

Hoc tibi ſacratum tandem tueare Caſini
Cœnobium pacis clypeo, virtutis amore,
Relligione ſacra, à peſte, à tonitru, atque ſagittis,
A belli rabie, à fame, ab anguis dente trifaucis;
Hoc procul extruſo Satana, tam nocte nigrante,
Quàm rutilante die ſoluat ſollennia trino
Sacra Deo, cultu celebri, pietate ſuprema.
Hoc tibi marmoreum confert maiore ſub ara
Sarcophagum, requieſcit vbi venerabile corpus
Germanæ tecum ſuſpirans iudicis horam.

AVCTORIS SVPPLICATIO.

AD eundem ſanctiſſimum Patrem BENEDICTVM pro gratia ſibi impetranda.

CLarus in mundo, ſuper aſtra longè
Clarior fulges, BENEDICTE coràm
Regis aſpectu, rutilante fratrum
Agmine cinctus.

O Quot hic reges, quot honore clari
Principes, quot Pontifices, quot almi
Præſules te concelebrant, vt aſtra
Fulgida ſolem.

VT roſæ candent niueæ, vt rubentes
Lilijs mixti redolent hyacinthi,
Qui tua egerunt monimenta fratres
Pro Cruce IESV.

O Mihi fœlix vtinam daretur
Sors ſub hoc cœtu memorare mortis
Gloriam, vitæ veluti triumphum

Carmine pango.

QVas Deo grates geminamus vni,
Tu Patri, ac Nato, ac vtriuſqúe Amori
Offer, ò cuſtos vigil, ò Caſini

Strenue tutor.

AMEN.

FVLVII CARDVLI
SOCIETATIS IESV PRESBYTERI
DE SANCTISSIMO P. BENEDICTO.

QVAM ſanctus fuerit BENEDICTVS, vita probauit,
Quantus doctor erat, Regula ſcripta docet;
Quos tulerit fructus, Eccleſia tota fatetur,
Quamqúe vides hominum religioſa cohors;
Sanctus ſancta facit, doctor docet, vt pater, orbem
Replet, virtutes tot BENEDICTVS habet.

LECTORI BENEVOLO S.

NE mireris, optime lector, ſi mendis aliquibus reſperſum opus inuenias; ea eſt enim impreſſorum ars, vt nec fieri poſſe videatur, ex eorum officinis libros abſque erratis prodire. Adde etiam, per locorum diſtantiam nō licuiſſe Reuerendo auctori, qui longæuam, longèque venerandam ſenectutem ſuam degit Caſini, quod eſt cœnobium Campaniæ nobiliſsimum, extremam limam correctioni apponere. Et licet tàm impreſſores, quàm, qui typis corrigendis præerat, multa fide, atque ſtudio ſuis functi ſint officijs, nihilominus tamen & illorum celeriorem manum, & huius minus perſpicacem obtutum, nonnulli errores latuerunt; qui poſtea, toto opere oculatius perlecto, animaduerſi, in hunc, qui ſequitur, modum emendantur.

Pag.	Vers.	Errata	Emendata:
3	11	hmiles,	humileis
7	8	patari	pararit]
18	12	puer	pueri
21	12	edentis	edentes
46	7	Dei	die
55	10	Quàm	Quam
80	2	cæde	æde
83	9	œnophocum	œnophorum
ibid.	20	Verſuti ac vapidi.	Ac verſuti
84	19	clatris	clathris
97	14	roſco	roſeo
98	5	ardentihus, arcta	ardentibus arcta
100	3	fuerit	furit
122	7	interteis	inerteis
125	38	ciba	liba
137	16	que	quam

Cætera errata vel ob acceleratam editionem non ſunt animaduerſa, vel animaduerſa tuo, lector, iudicio, veluti leuiora, caſtiganda permittuntur.

Cum licentia Superiorum.

FLORENTIAE,

Apud Bartholomæum Sermartellium.

MDLXXXVI.

